DE

PARASITIS APUD GRAECOS SACRORUM MINISTRIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

ALBERTUS DE KAMPEN,

GEDANENSIS.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXVII.

JACOBO MANNHARDT

IN CONVENTU MENNONITARUM GEDANENSIUM SACRIS

PRAEFECTO

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Cum jam per aliquot temporis in eo occupatus essem, ut Lucretianam philosophiam cum Epicureorum Graecorum doctrina compararem, nonnulla acciderunt, quae ad maturandum opus me instigarent. Erant autem praeter Epicuri ipsius fragmenta, quae exstant in Diogenis Laerti libro X, libri quoque Herculanenses praecipue ei, qui a Philodemo scripti nobis servati sunt, inspiciendi mihi atque excutendi. Qui pervenerunt quidem ad nostram aetatem, sed ita mutilati sunt, ut assidua non modo diligentia sed divinatoria quadam facultate opus sit ei, qui pro puris atque integris fontibus eis uti velit. Quare temporis necessitate coactus ab his studiis nunc quidem avocatus sum, quae postea facultate data denuo instituere maxime cupio. Si vero quis putet, eam materiam, quam deinde tractandam mihi proposui cohaerere aliquo modo cum studiis illis relictis, cum parasiti, qui nominari solent, quippe qui jucundam suavemque vitam sequentes eundem beatae vitae finem sibi proposuisse videantur atque Epicurei, qui voluptatem summum bonum esse judicent, maxime errat, quamquam Simon quoque parasitus apud Lucianum [1]): *οὐκοῦν ἀνάγκη πρῶτον*, inquit, *εἰπεῖν, ὅτι φιλοσοφίας μὲν οὐδέποτε ἠράσθη παράσιτος, παρασιτικῆς δὲ πάμπολλοι ἐπιθυμήσαντες μνημονεύονται φιλόσοφοι καὶ μέχρι γε νῦν ἐρῶσι*, quibus verbis imprimis tetigit Epicureos. Nam illud parasitorum inhonestum genus, quod parasiti nomen inde ab antiquitatis temporibus [2]) invidiosum odiosumque reddidit non mihi dignum visum est, in quod denuo inquirerem, postquam ante

---

1) *περὶ παρασίτου* 31.

2) cf. Polemo ap. Athen. VI p. 234 D; Crates ap. Athen. VI p. 234 E.

hos VI annos Beaufils [1]) de eis fusius disseruit, non quo dubium reliquerit nihil vel hanc quaestionem ad finem perduxerit [2]), sed quia majoris momenti esse mihi videbantur ei, a

---

[1]) De parasitis apud veteres scr. Beaufils Constantiis 1861. Ante eum Avellino (opuscoli diversi Tom. I. saggio su' parassiti delle antiche commedie grecche e latine) et Grysar (de Doriensium comoedia p. 52 sq.) de hoc parasitorum genere disseruerunt.

[2]) Immo nonnulla omnino neglexisse mihi videtur, cum Alciphronis epistolas, quae summa sunt auctoritate ad mores hominum istorum definiendos omnino non legerit. Praeterea de parasitorum apud comicos poëtas vestitu rebusque scenicis nondum perspicua omnia sunt, neque quae inveniuntur in codicibus quibusdam Terentianis imagines, quaeque ex antiquissimis libris manuscriptis desumtae esse videntur, ad has res clarius illustrandas satis jam adhibitae sunt. Ac dolendum sane est, quod illae imagines, in quibus expressae sunt editionibus Terentianis, coloribus non sunt distinctae, praeterea, quod tam indiligenter figurarum formas codicis Vaticani repraesentant, quin codex ipse non vehementissime desideretur. Cum vero in editiones eas, quae his picturis sunt ornatae, quam accuratissime inquisivi, breviter quomodo inter se cohaereant exponam. Ac primum quidem imagines codicis Vaticani (LI n. 3868 qui postea Parisios traductus intra annos 1815—1817 Romam iterum venit. cf. Platner Beschreibung der Stadt Rom II p. 346) in Christophori Bergeri commentatione de personis scripta editae sunt, quae praesto mihi non erat. Deinde anno 1736 in editione Urbinate laminis expressae sunt aëneis, sed sculptor liberiori modo imitatus est figuras codicis, literarum in titulis adhibitarum formam mutavit neque vero nomina male singulis figuris superscripta transposuit. Quod vitium vidit, qui proximam editionem curavit Carolus Coquelines, quare in tabulis aëneis *eisdem* (elucet hoc ex subscriptione sculptoris ap. Coquel. p. XXIII in edit. Urbin. p. XIII: „Jo. Bapta. Sintes. sculps.") quibusdam locis correxit (e. g. Ter. Eun. IV, 7, ubi vestigia liturae patent). Restitit vero eadem indiligentia picturae. Quare solae illae tabulae, quas Agincourt praebet (histoire de l'art par les monumens. tom. V pl. 35. 36) quippe quae quam accuratissime codicis vestigia sequantur (confectae sunt: „par le moyen du calque") aptae sunt, quibus habitus personarum comicarum illustrari possit. At perpaucas modo imagines codicis ibi in publicum edidit Agincourt, easdemque coloribus non distinctas ita ut ad codicem ipsum omni modo refugiendum sit. Denique quae exstant tabulae in editione Daceriana (Amstelod. 1699) omnino nulla sunt auctoritate. — cf. Angelo Mai M. Acci Plauti fragmenta inedita cet. Mediolani 1815. — Wieseler Theaterdenkmaeler. ad tab. X.

quibus hi parasiti *posteriores* nomen acceperunt. Nam quamquam negari nequit, parasitos Atticae comoediae recentioris non poëtarum ingenio deberi, sed quasi imagines esse quorundam vitae cotidianae hominum, ita ut eis ad antiquitatem, quod fieri potest, perfectam in animis nostris restituendam, careri non possit, tamen etiamsi perpauca de eis accepissemus — at exstant nimis multa — nihil desideraremus, quia aeque ac nomen genus quoque istorum parasitorum non interiit. Neque vero omnino disjungenda sunt duo illa parasitorum genera, sed quod jam dixi, alterum ab altero nomen est mutuatum, quare in fine dissertationis id quoque perscrutabor, quomodo factum sit, ut nomen antea *σεμνὸν καὶ ἱερόν* tantum odium paullatim in se contraxerit.

Praeter Schoemannum [1]) et Hermannum [2]) permulti alii occasione data de his *prioribus* parasitis quaestiones instituerunt, e quibus nomino Petitum [3]), Le Beau [4]), Avellinum [5]), Prellerum [6]), reliquos suo loco adferam, tamen veterum hujus argumenti locis recentiorumque judiciis accurate comparatis, non vereor, ne inutilia tractaverim actaque egerim sed spero aliquantulum fortasse me praestituturum ad Graecorum res sacras aliqua ex parte clarius intelligendas, quae tantum abest ut penitus cognitae sint, ut si ne dicam novi sed certi quid inveniatur, pro lucro sit habendum. Denique addiderim, me hanc ipsam materiam elegisse, in qua tractanda fructus me quosdam e studiis percepisse ostenderem, quia tam artis finibus eam esse circumscriptam putavi, ut in temporum angustiis tamen aliquo modo perfici a me posse hanc quaestionem sperarem. Sed denuo intellexi, eum modo de rebus antiquitatis vel minutissimis certo judicare posse, qui antiquitatem amplectatur totam. Itaque in dijudicandis his studiorum meorum primitiis veniam petiverim.

---

1) Griech. Alterth. edit. II. tom. II. p. 399.
2) Gottesdienstl. Alterth. edit. I. §. 36, 19.
3) Leges Atticae p. 158 sq.
4) Histoire de l'académie des inscr. et belles lettres. XXXI. p. 51
5) opuscoli diversi. Napoli 1826. I, p. 215.
6) Polemonis fragmenta. Lips. 1838. p. 115 sq.

Antequam fontes adeo ipsos, quorum ex mutilis fragmentis quid certi vel verisimile de natura parasitorum vetustiorum possit concludi conscribere in animo mihi est, de veriloquio vocabuli *παράσιτος* nonnulla praemittam, ne quis inde ab initio falsam interpretationem secutus in errorem proripiatur. Comparanda est haec vox *παράσιτος* cum vocabulis *παράκοιτος* (*κοιτεῖν*) *παράληρος* (*ληρεῖν*) *πάροικος* (*οἰκεῖν*) similibus ita, ut *παράσιτος* quoque derivandum sit ab *σιτεῖν* vel potius *παρασιτεῖν*, neque vero sit ex praepositione *παρά* et substantivo *σῖτος* compositum. Nam *-ληρος*, *-οικος*, *-σιτος*, compositorum verborum membra, nullo modo eadem sunt vocabula ac *λῆρος*, *οἶκος*, *σῖτος*, sed hominem quendam significant, qui verborum *ληρεῖν*, *οἰκεῖν*, *σιτεῖν* actionem perficiat. Nam si primitiva vocabula *λῆρος*, *οἶκος*, *σῖτος*, quae res quasdam significant cum praepositione *παρά* componerentur, composita personae significationem non possent mutuari, nisi simul terminationem *-ιος* pro *-ος* assumerent. Exempla sunt *παρανύμφιος*, *παρασφύριος*, quae apud lexicographos demum etiam *παράνυμφος*, *πατάσφυρος* scribuntur. Vocabula autem illa in *-ος* exeuntia quodammodo adjectiva verbalia possunt nominari, quamvis per se omissa praepositione usurpari nequeant. Addi potest, si a verbis intransitivis originem duxerint, abire haec vocabula in activam, si a transitivis in passivam significationem. Cujus alterius generis exempla sunt *παράτροφος*, *παράτροπος*, *παράτυπος*, *παράφθορος*, *παράφορος*. *Παράσιτος* vero est is, qui *σιτεῖ cum aliquo*. Denique cum vocabulum *παράσιτος* post vocabulum *παρασιτεῖν* exstiterit, *παράσιτος* quidem quicunque *παρασιτεῖ* potest nominari, sed *παρασιτεῖν* quamvis idem esse potest ac *παράσιτον εἶναι* tamen ubique sit non necesse est. — Cur haec tot verbis exposuerim intelliget is, qui interpretes legat legis regiae, de qua infra dicemus, qui metuentes, ne parasitis praeter frumenti (*σῖτος*) curam boum quoque delectum tribuerent, artificiosissime vocabulum *βουκολία* explicare et interpretari conati sunt. Sed haec hactenus. Jam ad rem ipsam me converto.

Quum peculiaris de parasitis vetustioribus liber non sit

servatus, vel potius quod est verisimilius a nullo veterum scriptorum unquam scriptus [1]) — nam Luciani dialogus, cui nomen *Σίμων ἢ περὶ παρασίτου* [2]) indidit, cum facete de arte parasitica i. e. de arte gratis largeque epulandi conscriptus sit, parasitos, sacrorum ministros, omnino negligit — necesse est, fontes huc illuc exigue scatentes in unum ducamus, si forte rivolus inde proveniat, qui aquae inopia brevi tempore non exarescat. Quorum fontium exstant duo genera, alterum legum et inscriptionum, alterum scriptorum quorundam comicorumque poëtarum recentioris comoediae Atticae, qui interdum occasione data, quamquam saepissime de „comicis" illis parasitis — eos quoque intelligo cotidianae vitae parasitos, qui comicorum sunt quasi exempla — loquontur, eorum quoque mentionem faciant vetustiorum, a quibus alii praeter nomen fere nihil duxerunt. Accedit vero ad locorum istorum paucitatem, quod inscriptiones illae atque leges non integrae tabulis aëneis vel columnis lapideis inscriptae ad nos pervenerint, sed a scriptoribus nobis traditae sint, qui, cum parasitorum comicorum naturam narrare velint, nostros parasitos nisi praetereundo non tangunt. Scimus praeterea, quantula sit persaepe lexicographorum auctoritas, cognovimus scholiastarum incuriam, ita ut perfectum plane atque absolutum de hac re judicium nos esse prolaturos omnino non speremus. —

Primus omnium locus quidam Plutarchi [3]) nobis est tractandus maxime dubius, qui si ad Solonem ipsum referendus est vetustissimum exstat parasitorum testimonium. Verba sunt haec: *ἴδιον δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ τὸ περὶ τῆς ἐν δημοσίῳ σιτήσεως, ὅπερ αὐτὸς παρασιτεῖν κέκληκε. τὸν γὰρ αὐτὸν οὐκ ἐᾷ σιτεῖσθαι πολλάκις· ἐὰν δὲ ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται κολάζει, τὸ μὲν ἡγούμενος πλεονεξίαν, τὸ δὲ ὑπεροψίαν τῶν κοινῶν.* Si cum his verbis comparamus Moer. p. 322: *παρασί-*

---

1) Nam Athenaeus VI p. 234 D: *Πολέμων γοῦν γράψας περὶ παρασίτων φησὶν οὕτως* non singularem hujus scriptoris *περὶ παρασίτων* librum exstitisse dicit, quod his verbis: *ἐν τῷ περὶ παρασίτων* significasset.

2) cf. Hirschig dissertat. inaug. Leidens. 1844.

3) Solon. cap. 24.

τους, τοὺς τὰ δημόσια (*Σ. τοὺς δημοσίᾳ*) *σιτουμένους ἐν τῷ πρυτανείῳ. Ἀττικῶς* [1]), apparere videtur, Plutarchum quoque, cum istam Solonis legem afferret de epulis in prytaneo publice comparatis cogitasse. Quare non modo editores [2]), sed etiam alii [3]) difficultates, quae huic interpretationi obsisterent, aut omiserunt aut amovere conati sunt. Necessarium igitur est, ne obscuri quid hac in re relinquatur, ut de epulis in prytaneo Atheniensium [4]) paratis paullo accuratius disseramus. Quod apud Athenaeum (IV p. 137 E) lex quaedam alia Solonis invenitur haec: *Σόλων δὲ τοῖς ἐν πρυτανείῳ σιτουμένοις μᾶζαν παρέχειν κελεύει, ἄρτον δὲ ταῖς ἑορταῖς παρατιθέναι, μιμούμενος τὸν Ὅμηρον*, conjici licet, jam ante Solonem [5]) exstitisse epulas publicas, quibus summi magistratus et legati aliarum civitatum, quique bene de re publica meruissent [6]), uterentur. Etenim post Solonem hi viri hoc summo honore [7]) fruebantur, neque alii possunt cogitari, quibus antea cibus publice sit praebitus. Potuit vero, cum magistratus per publici muneris tempus, legati quam diu essent Athenis, in prytaneo coenarent, aut in certum quoddam tempus [8]) aut perpetuus [9]) cibus tribui eis, qui egregie quidquam perfecissent. Sed praeter rei publicae magistratus (*πρυτά-*

---

1) Piersoni ad hunc locum adnotatio secundum ea quae infra docebo nullam habet vim. Eadem verba exstant apud Thom. Mag. ed. Ritschl. p. 280, 8.

2) cf. Westermannum ad h. l.

3) K. F. Hermann. Staatsalterth. ed. IV. §. 127, 17.

4) de situ prytanei cf. Petersen, zur Topographie Athens. Archaeol. Ztg. X n. 37. p. 410.

5) cf. M. H. E. Meier de vita Lycurgi p. XCVII sq. in Kiessling. fragm. Lycurgi. Halis Sax. 1834.

6) Lucian. Prometh. 4; Aeschin. *περὶ παραπρεσβείας* p. 34. — Demosth. *κατὰ Ἀριστοκράτους* p. 663; *πρὸς Πολυκλέα* p. 1210.

7) Cic. de orat. I, 54, 232; schol. Aristoph. equit. v. 167. *περισπούδαστον δὲ ἦν τοιαύτης δωρεᾶς τυχεῖν.*

8) cf. Aeschin. l. l.

9) cf. Cic. l. l. quod cum interrogatus Socrates esset, respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus *cotidianus* in prytaneo praeberetur.

νεις) alii quoque erant sacrorum scilicet publicorum ministri, qui ex natura suorum officiorum per totam vitam in prytaneo epulabantur. Qui vocabantur *ἀείσιτοι* (cf. Pollux IX, 40: *πρυτανεῖον καὶ ἑστία τῆς πόλεως, παρ' ᾧ ἐσιτοῦντο οἵ τε κατὰ δημοσίαν πρεσβείαν ἥκοντες καὶ οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες καὶ εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀείσιτος ἦν*). Neque vero putaverim prytanes ipsos, cum singulis mensibus decederent, *ἀεισίτους* esse nominatos, quamvis ex Hesychii verbis [1]): *ἀείσιτοι· ὁ ἐφ' ἑκάστῃ ἡμέρᾳ ἐν τῷ πρυτανείῳ δειπνῶν* [2]) consequi haec opinio videatur. Quarum rerum habita ratione, nunc est verisimile, quod Plutarchus dicit (c. 24) Solonem vetuisse, ne quis plus semel publicis sumtibus coenaret? Interdixisset profecto, inquit Meierus [3]), ne quis amplius semel rem eo praemio dignam faceret, id quod absonum esset. Westermannus quoque ad locum Plutarchi, quomodo verba de hac coena possint intelligi nescit, attamen alteram Solonis legem (Athen. IV, p. 137 E) cum hac conjungendam esse miro modo contendit. Neque quod Hermannus [4]) dicit: „was die allerdings weiter nicht nachweisbare beschränkung: *τὸν αὐτὸν κτἑ* betrifft, so wird diese auf ähnliche art ausser Uebung gekommen sein, wie es sich auch für die nach Athen. IV, 4 verordnete schmale Kost voraussetzen

---

1) I. p. 108.

2) In compluribus inscriptionibus Graecis *ἀείσιτοι* inveniuntur. cf. C. J. G. n. 183—201. 353. — Ross. Demen p. 39 ubi singuli magistratus vel potius sacrorum ministri nominantur, qui in numero erant aïsitorum. Quae huc referenda sunt inscriptionis verba hoc modo a Rossio comparatis inscriptionibus Boeckhianis sunt restituta:

. . . . . . *Ἀΐ*]*σειτοι*
. . . . . . *ἱερ*]*οφάντης*
. . . . *δ*]*ᾳδοῦχος*
. . . . *ἱ*]*εροκήρυξ*
. . . . . . *ἐπ*]*ὶ*[*β*]*ωμῷ*
. . . . . *πυρ*]*φόρος*

cf. etiam Mommsen Heortolog. p. 234. 235.

3) vita Lycurg. l. l.

4) Staatsalterth. §. 127, 18.

lässt", ullo modo Westermanni opinionem fulcire mihi videtur. Causa enim non intelligitur, cur saepius in prytaneo coenare eidem non licuerit, ea vero, quam affert Plutarchus: *τὸ μὲν ἡγούμενος πλεονεξίαν*, quin ex lege ipsa non desumta sit, sed Plutarcho debeatur ipsi, dubium esse nequit. Neque haec sola res prohibet, quominus de prytaneo cogitemus.

Porro enim legis ipsius verba: *ᾧ καθήκῃ* officium quoddam, neque vero licentiam exprimunt, deinde nemo sibi persuadebit, publicum illum honorem tam saepe esse recusatum, ut legislator poenam minitari coactus esset eis, qui rei publicae spernerent dona. Sed quod haud minime valet contra Westermanni et Hermanni opinionem est, quod verbum *παρασιτεῖν* nullo modo, ut Plutarchus contendit, *proprie* de publice in prytaneo instructis epulis usurparetur; neque ullo tempore convivae isti publici *παράσιτοι* nominati sunt, nam quod Clearchus Solensis [1]) dicit: *ἐν γοῦν τοῖς παλαιοῖς νόμοις αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων ἔτι δὲ καὶ τήμερον τοῖς ἐντιμοτάταις ἀρχαῖς συγκαταλέγουσι παρασίτους* vel eam ob caussam Hermanno auxilio non est, quia de parasitis *creatis* loquatur Clearchus, Plutarchus autem cum miras istas adjungeret causas de hominibus epulis publicis honoris causa donatis cogitaverit. Praeterea Athenis parasitos ad ornandos quasi magistratus creatos exstitisse omnino non constat, immo negandum esse videtur. Moeris autem, qui praeter Plutarchum vocabulum *παράσιτος* hoc sensu usurpavit, Plutarcho ipso fortasse auctore usus est. Quibus causis allatis satis demonstrasse mihi videor, falso Plutarchum hanc legem de epulis in prytaneo Atheniensium comparatis interpretatum esse [2]). Quo igitur referenda est lex? Meierus putat, ipsum vocabulum *παρασιτεῖν* mentionem injicere parasitorum. Sed, quod jam supra memoravi, *παρασιτεῖν* in universum significat:

---

1) ap. Athen. VI p. 235 A: *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν βίων.*

2) Plutarchus ipse de hac re videtur dubitasse, qui verba adderet *τὸ μὲν ἡγούμενος — τῶν κοινῶν*, ut aliquo modo suae interpretationis discrepantiam solveret.

epulari cum aliquo [1]), ac nullo modo de parasitis est proprium, quare hoc unum nil probat aliaque quaerenda sunt testimonia. Lex quidem Solonis eadem, quantum scio, alio non occurrit loco, sed ni fallor *psephisma Alcibiadis*, quod Athenaeus [2]) affert auctore Polemone, cum nostra lege, quam ab Atthidographo quodam fortasse desumsit Plutarchus, potest comparari, ita ut alter ab altero locus lumen accipiat. — Quamquam ex Athenaei verbis non necessario concludendum est, esse illud psephisma ex Polemonis libro petitum, tamen Prellerum atque Meinekium recte judicasse censeo, qui Polemoni, quae leguntur apud Athenaeum p. 234 D—235 E, tribuant ita ut pauca modo ab Athenaeo interposita sint verba. Polemonis vero auctoritati diffidendum non est, quem quam accuratissime quas in libros suos recepit leges et inscriptiones e fontibus ipsis hausisse nempe e columnis vel tabulis lapideis descripsisse constat, quam ob rem cognomen ei inditum est Στηλοκόπας. Alia est ea quaestio, utrum excerpserit modo Athenaeus verba Polemonis an integra reddiderit. Psephisma quod jam tractaturi sumus lacerasse non videtur. Verba Polemonis [3]) haec sunt: *ἐν Κυνοσάργει μὲν οὖν ἐν τῷ Ἡρακλείῳ στήλη τίς ἐστιν, ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδου, γραμματεύς δὲ Στέφανος Θουκυδίδου, λέγεται δ' ἐν αὐτῷ περὶ τῆς προσηγορίας* (sc. *παρασίτου*) *οὕτως· τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων. οἱ δὲ παράσιτοι ἔστων* [4]) *ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων*

---

1) cf. Platon. Laches p. 179 C: *συσσιτοῦμεν γὰρ δὴ ἐγώ τε καὶ Μελησίας ὅδε, καὶ ἡμῖν τὰ μειράκια παρασιτεῖ.*

2) VI p. 134. E. F.

3) Athen. IV p. 234 E.

4) codd. *ἕνα τῶν*, quod *Petitus* legg. Att. p. 165 defendit. Sed si haec verba retinemus lacuna statuenda est, quod Petitus concedit. At putat facile sensum posse elici hunc: parasiti de nothis aut nothorum liberis unum eligunto. *Casaubonus* quoque (cf. Schweighaeus. animadv. in Athen. tom. III p. 356) lacunam statuendam esse dicit, et *Pastoret* (histoire de la législation p. 333) vertit: les parasites prendront avec eux un bâtard et un fils de bâtard. Sed mihi *Meierus* (de bonis damnatorum p. 75) veram emendationem protulisse videtur, qui pro *ἕνα τῶν*

κατὰ τὰ πάτρια. ὃς δ' ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰσαγέτω καὶ περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον. Neminem sane potest effugere, extrema verba: ὃς δ' ἂν — δικαστήριον simile quid continere ac Plutarchi: ἐὰν δὲ ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται (sc. σιτεῖσθαι) κολάζει. Utroque enim loco cavetur ne quis, cui fas sit παρασιτεῖν, recuset; apparet autem verba Plutarchi ex Solonis quadam lege, Polemonis ex Alcibiadis psephismate esse allata. At statui fortasse potest et legem et psephisma unam eandemque rem tractare. Solon enim in columnis eis, quae κύρβεις vel ἄξονες [1]) vocabantur, non modo de jure publico sed etiam de sacro praecepta scripserat, quam ob rem de parasitis quoque — quia Herculis cultu sejungi posse non videntur — legem tulit scilicet eam, ex qua Plutarchus nonnulla verba attulit. Optime enim huic legi convenit formula ἐὰν δὲ ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται. Plutarchus autem, cum de parasitis istis prioribus nil sciret — neque enim apud eum memoria eorum exstat — cumque vocabulum παρασιτεῖν vario modo posset intelligi, legem ad σίτησιν ἐν πρυτανείῳ referre satis temere non dubitavit. Si vero quis miretur cur Alcibiadis psephisma de eadem re latum sit atque Solonis antiqua lex, jam ex eis quae prolaturus sum, spero causam intellecturum esse. De tempore psephismatis Meierus [2]) quaesivit atque Alcibiadem minorem, qui aequalis esset filiorum Thucydidis Milesiae f., Milesiae et Stephani, auctorem ejus esse quam luculentissime ostendit. Itaque, cum circa Ol. LXXXVII (430) rem publicam capesseret Alcibiades, hoc tempore posterius esse debet plebiscitum. Sed multo majorem difficultatem praebet spuriorum mentio. Notissima est Plutarchi narratio, quam in vita Themistoclis (I, 2) nobis tradidit, Themistoclem, qui ad exercitationes gymnasticas in Cynosarge esset inscriptus, quia non ab utroque pa-

---

scribit ἔξων, quamquam id quidem negari nequit, verba paullulum, sensum maxime hac conjectura mutari. Docebo autem infra solum hunc sensum aptum esse.

1) cf. de eis quem in calce opusculi subjeci excursum.

2) de bonis damnat. Berl. 1819. p. 75.

rente civis Atheniensis natus erat, persuasisse quibusdam juvenibus nobilibus, ut et ipsi in Cynosarge sese exercerent, atque hoc dolo sustulisse spuriorum justorumque liberorum discrimen. Cui fabulae si non omnino fidem habemus, cum inventionis speciem prae se ferat eo, quod vix credi potest, solum Themistoclem adolescentem illud perficere potuisse, non est tamen, quod totam eam esse inventam judicemus. Nam ab aliis quoque scriptoribus confirmatur id, quod Plutarchus narrat, adscriptos fuisse spurios in gymnasio *ἐν Κυνοσάργει* [1]), cujusque rei ipse Plutarchus causam affert hanc: *ἐπεὶ κἀκεῖνος* (sc. *Ἡρακλῆς*) *οὐκ ἦν γνήσιος ἐν θεοῖς.* Sed quo factum sit, ut Hercules ille, cujus templum in Cynosarge erat imprimis a spuriis coleretur, ut in reliquis Heracleis [2]) spuriorum officia non essent, nescimus. Sed cum in Cynosarge praeter Herculis aras Alcumenae quoque et Hebes essent altaria [3]), in hoc ipso templo duplicis quasi naturae et divinae et humanae, qua Hercules nothus aliquo modo factus sit, rationem esse habitam intelligimus. Si vero Muellerus [4]) putat, habitasse quoque spurios circa templum, vereor ut hoc probare satis possit. Errat idem, si vocabulum *συντελεῖν* proprio sensu pensitandi non accipit, nam Hermannus [5]) recte dicit: quodsi *νόθων* apud Athenienses ea conditio erat, ut sua im-

---

1) cf. *Suidas* v. *Κυνόσαργες· ἐπειδὴ οὖν καὶ ὁ Ἡρακλῆς δοκεῖ νόθος εἶναι, διὰ τοῦτο ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐγυμνάζοντο.* — id. v. *ἐς Κυνόσαργες· καὶ οἱ νόθοι ἐνταῦθα ἐκρίνοντο.* — *Apostol. X*, 22. paroem. graec. edd. Leutsch et Schneidewin II, 491 *ἐξ οὗ καὶ τοὺς νόθους συντελεῖν, ὅτι καὶ Ἡρακλῆς νόθος ὢν ἴσα θεοῖς ἐτιμήθη.* — *Append. proverb* II, 24 paroem. Gr. I p. 398. — *Bekker anecd.* p. 274. *Κυνόσαργες γυμνάσιόν τι Ἀθήνησι, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο καὶ οἱ νόθοι οἱ ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους ἀστοί.* — *Photius* v. *Κυνόσαργες.*

2) Erat autem Heracleorum satis magnus numerus cf. *Harpocrat.* s. v. *Ἡράκλεια . . . πολλῶν ὄντων τῶν κατὰ τὴν Ἀττικὴν Ἡρακλείων κτἑ.*

3) cf. *Pausan.* I, 19, 3 *βωμοὶ δέ εἰσιν Ἡρακλέους τε καὶ Ἥβης, ἣν Διὸς παῖδα οὖσαν συνοικεῖν Ἡρακλεῖ νομίζουσιν. Ἀλκμήνης τε βωμὸς καὶ Ἰολάου πεποίηται, ὃς τὰ πολλὰ Ἡρακλεῖ συνεπόνησε τῶν ἔργων.*

4) ad Leake. Topograph. v. Athen. (vers. Rienacker.) Halle 1829. p. 460.

5) de syntelia p. 4. ind. schol. Gotting. 18 3/54.

pensa statis temporibus rem sacram Herculi in Cynosarge faciendam curarent [1]) verbi *συντελεῖν* ratio planissime apparet. Quinam vero *νόθοι* nominabantur? Utrum ei qui ab altero parente cive Atheniensi, an qui non justo matrimonio i. e. concubinatu civium Atheniensium nati erant? Dubitari nequit, quin utrique hoc nomine significari soliti sint. *Postea* ipsi libertini interdum hoc nomine appellabantur [2]). Perscrutemur igitur necesse est, quomodo de eis res habeat, qui Herculem *ἐν Κυνοσάργει* colebant. Si ad Solonis aetatem respicimus, legem invenimus ab Aristophane [3]) nobis servatam, qua *νόθοι* civitate Attica non privati *ἀγχιστείαν* h. e. legitimorum filiorum jus hereditarium amiserunt. Hi *νόθοι* non possunt esse alii ac qui patre cive matre serva utebantur, quique ex concubinatu civium Atheniensium erant nati [4]). Neque enim istis temporibus peregrinorum tantus erat Athenas concursus ut certa lex de eis liberis, qui ex peregrini cum cive Attica vel civis cum peregrina matrimonio orti essent desideraretur. Si vero omnino hujuscemodi existebant spurii tamen proprium gymnasium eis, qui ortu inferiores una cum reliquis Atheniensibus non possent exerceri, propter paucitatem non esset institutum. Porro quod his *νόθοις* opponuntur filii *γνήσιοι* de eis non potest cogitari, qui e connubio peregrino originem trahebant. Paullatim vero saepius advenae Athenas confluxe-

---

1) cf. Demosth. *κατὰ Ἀριστοκράτους*. p. 214, B.

2) cf. *Suid.* v. *ἐς Κυνόσαργες· ἐκάλουν δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοὺς ἀπελευθέρους νόθους.* — *Cosmas* ad carm. Greg. Naz. in spicil. Roman. ed. Angel. Mai tom. II p. 147. *ἐκαλοῦντο δὲ παρὰ Ἀθηναίοις καὶ οἱ ἀπελεύθεροι νόθοι. νόθοι δὲ καὶ οὗτοι ὡς πρὸς τοὺς ἐκλευθέρους γεννητῆς. καὶ οὗτοι δὲ ἐκρίνοντο καὶ ἐδοκιμάζοντο εἰ ὅλως ἐλευθερώθησαν.*

3) Aristoph. aves. 1661 sq.

Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν παίδων ὄντων
γνησίων, ἐὰν δὲ παῖδες μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς
ἐγγυτάτω γένους μετεῖναι τῶν χρημάτων.

Quae lex apud Demosth. Macart. 51 invenitur adulterina his ipsis Aristophanis verbis niti videtur.

4) Non est verisimile, liberos servorum ex cive Attica genitos civitate unquam fructos esse.

runt ibique habitaverunt, quorum liberi, si qui ex cive Attica gignebantur, ex usu magis quam lege civitatem sibi vindicabant. Erant autem inferioris gradus [1]) quare, cum genuinorum Atheniensium gymnasia frequentare non possent, ne hoc beneficio omnino carerent in Cynosarges se contulerunt. Cum vero essent permulti et nobilissimi et ditissimi fieri potuit, ut quod erat odium in Cynosargis gymnasio tolleretur et ut genuini quoque Athenienses non jam ab hujus gymnasii usu se abstinerent. Quod probatur narratiuncula illa Plutarchea de Themistocle, qui quod erat inter omnes hujus generis nobilissimus, prae ceteris veterem consuetudinem sustulisse dicitur. Sed ubi cives Athenienses Cynosarges quoque sibi arrogaverunt, etiamsi *νόθους* non omnino excluderent, eis quoque muneribus functi sunt, quae antea *νόθοι* administraverant. Deinde Periclis aetate scimus lege constitutum esse. ut solum ei essent cives Attici, qui utroque parente cive Attico uterentur [2]). Qua lege alterum genus spuriorum, scilicet eorum, qui patre solum cive Attico utebantur e Cynosarge removebatur, restabat alterum eorum, qui ex concubinatu civis Atheniensis cum cive Attica nati erant, praeterea ei quoque remanserunt ibi Athenienses *γνήσιοι*, qui antea Cynosargi adscripti erant, quique, quod mihi gravissimum esse videtur, vel promiscue cum nothis vel soli officiis eis praecipue sacris fungebantur, quae cum Cynosarge et cum templo Herculis erant conjuncta. Jam quaerendum est, utrum, quae de hac re exposui, legi Solonis [3]) et Alcibiadis psephismati respondeant nec ne. Optime. Nam, si vera est conjectura, quam proposui [4]), erravisse Plutarchum, qui Solonis legem de epulatione in prytaneo interpretaretur, Solon ut de reliquis sacris de sa-

---

[1]) Meier de bon. damn. p. 74.

[2]) cf. Plut. Pericl. 37, 2. *ἀκμάζων ὁ Περικλῆς ἐν τῇ πολιτείᾳ πρὸ πάνυ πολλῶν χρόνων καὶ παῖδας ἔχων ὥσπερ εἴρηται, γνησίους νόμον ἔγραψε μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας.*

[3]) Plut. vit. Sol. 24.

[4]) Fortasse Schoemann. Griech. Alterth. ed. II. tom. II p. 399 idem voluit, neque vero accuratius de hac re disseruit.

cris quoque in Cynosarge faciundis legem tulit, cujus pars erat fere haec: (παρασιτεῖν δὲ τοὺς παρασίτους), τὸν δ' αὐτὸν μὴ παρασιτεῖν (Plut. σιτεῖσθαι) πολλάκις· ἐὰν δὲ ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται (sc. παρασιτεῖν) κολάζεσθαι· (cf. psephism. ὃς δ' ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰσαγέτω (sc. ὁ ἱερεύς) εἰς τὸ δικαστήριον). Hoc fere modo ista lex conscripta esse videtur, si veras quasdam ejus reliquias Plutarchus nobis servavit. De nothis mentio invenitur nulla. At erat omnino supervacanea, cum, ut supra demonstravi, Solonis aetate soli nothi frequentarent Cynosargis gymnasium. Qua re non jussit, quod aliter fieri non potuit. Sed quod vetitum expressis verbis non erat, postea cum res mutarentur non mirum est quod committebatur. Negligebatur igitur antiquissimum illud *spuriorum* in Cynosarge ministerium sacrum. Etiam post legem Periclis Herculis cultus nullo modo ad solos nothos rediit, quippe qui non soli Cynosargis gymnasium frequentarent [1]). Attamen cum nescio quis postea moneret, Herculem ἐν Κυνοσάργει nothorum antiquitus quasi praesidem esse, cui soli nothi sacra fecissent tempore Solonis et ob eam causam tunc quoque soli sacrificari deberent, psephisma illud edebatur Alcibiadis, quo qui postea γνήσιοι Cynosargi adscripti erant ab hoc ministerio parasitandi omnino excludebantur, nothis, qui ex concubinatu duorum civium nati erant [2]), antiquum jus (κατὰ τὰ πάτρια) antiquumque officium reddebatur. Itaque Solonis lex sublata non est, immo cavit Alcibiades, ne quis falso eam interpretaretur. Sed contra ea,

---

1) Quod Meierus de bon. damnat. p. 75 dicit: „aut enim qui νόθοι semel Cynosargi adscripti erant, hi etiam post legem Periclis quamquam civitate privati, nihilo secius cum posteris suis Cynosargi adscribebantur, novi autem non amplius recipiebantur, unde mos ille mox in oblivionem abiit: aut . . . . cet.“ omnino verum esse nequit.

2) Nescio an eis quoque, quos civis ex serva genuit. Spurios ut ita dicam peregrinos, quamquam Periclis legem ipsam illius aetate sublatam esse scimus non putaverim denuo in Cynosarges esse adscriptos, quia ubi sublata lege in civium numerum recepti erant ad omnia gymnasia aditus pateret. Praeterea non ita multo post nova lege iterum civitate privati sunt.

quae proposui, nonnulli grammaticorum loci facere videntur, nam quamquam Pollux III, 21 de spuriis recte dicit: *νόθος δὲ ὁ ἐκ ξένης ἢ παλλακίδος* tamen anonymus quidam [1]) tradit: *διὰ τοῦτο ἐκεῖ* (sc. *ἐν Κυνοσάργει*) *οἱ νόθοι ἐτελοῦντο, οἱ μήποτε πρὸς πατρὸς μήτε πρὸς μητρὸς πολῖται* et Suidas v. *Κυνόσαργες* simili modo dicit: *διὰ τοῦτο ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐγυμνάζοντο, οἱ μήτε πρὸς πατρὸς, μήτε πρὸς μητρὸς πολῖται.* Nunquam vero, qui utroque parente cive Attico carebat *νόθος* nominabatur, sed *ξένος*, quare his testimoniis aperte falsis nihil tribuendum esse videtur. Porro quae apud Bekkerum (anecd. p. 274) exstant verba: *Κυνόσαργες, γυμνάσιόν τι Ἀθήνῃσι, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο καὶ οἱ νόθοι* (*οἱ*) *ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους ἄστοι* de aetate Themistoclis intelligenda sunt, maximeque probant vocabulo *καὶ* addito praeter hujus generis nothos, alios quoque vel cives vel nothos Cynosargi adscriptos fuisse, quod antea demonstrare conatus sum. Denique, ut quaestionem de nothis plane perficiam, refutanda est eorum sententia, qui putent, nothos ad solas exercitationes gymnasticas Cynosargi esse adscriptos. Quam opinionem omnino praetermitterem, nisi Müllerus [2]) eam sequeretur. At ipso psephismate haec sententia refelli posse videtur. Nam licet per se nil obstet, quin ephebi, quoad exercitationum gymnasticarum erant participes, spurii parasitorum quoque munere functos esse putemus, tamen verba: *οἱ δὲ παράσιτοι ἔστων ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων* satis probant, spurios etiam gymnasio relicto aliquo modo cum templo Herculis conjunctos mansisse, simulque cum pueris fuisse parasitos. Eodem modo Meinekius [3]) haec verba interpretatur, recteque ex Isaeo [4]) affert locum hunc: *εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀστύφιλον παῖδα ἦγε μεθ' ἑαυτοῦ ὥσπερ καὶ ἐμὲ πανταχῇ, καὶ εἰς τοὺς θιάσους τοὺς Ἡρακλέους ἐκεῖνον εἰσήγαγε, ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας.* —

---

1) Bachmann anecd. graec. I. p. 210. v. *εἰς Κυνόσαρκες* cf. Photius v. *Κυνόσαργες.*

2) Leake Topogr. vers. Rienack. p. 460.

3) fragm. com. Gr. II, 2 p. 1023.

4) de Astyphil. hered. §. 30.

Jam cum de nothis quid judicemus protulerimus de singulis legis atque psephismatis praeceptis accuratius videndum est. Ac primum quidem praescribit psephisma: *τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων.* Verisimile sane est, eadem verba vel quae eadem imperarent in lege Solonis quoque exstitisse, quamquam de hac re nihil traditum est, haud dubie autem, quae sacra singulis mensibus fiebant, non ab Alcibiade instituta, sed ex antiquissimis temporibus sunt repetita. *Ἐπιμήνια* secundum Hesychium [1]) erant sacra, quae cujusque mensis tempore intermenstruo celebrabantur. Ex eo vero quod sacerdos *et parasiti* sacrificare jubentur id concludi non licet, parasitos sacerdotio aliquo functos esse, sed cum per se suspicari possumus, tum Pollucis auctoritate docemur et spuriis ad publica sacerdotia aditum vetitum fuisse et parasitos *ministros* modo fuisse sacrorum [2]) (*ἱερᾶς ὑπερεσίας τοὔνομα*) [3]). Quae sequontur verba psephismatis: *οἱ δὲ*

---

1) v. *ἐπιμήνιοι· οἱ ἱεροποιοί, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ θυσία τις ἐπιμήνια ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη.*

2) Hanc ipsam ob causam erraverunt, qui parasitos sacerdotes appellant (cf. Walkenaer histoire de la vie et des poésies d'Horace p. 290: „prêtres subalternes") quique cum Casaubono (cf. Schweighaeus. animadv. in Abh. III p. 356), ut vocabulum *παράσιτος* latine redderent *epulones* eos nominaverunt. De quibus epulonibus quam accuratissime disseruit Marquardtius (cf. Bekker. Marquardt. Roem. Alterth. IV p. 291—294) ita, ut de hoc collegio fere omnia, quae vel in libris vel inscriptionibus inveniuntur, collegisse videatur. Ne longus sim affero, primum creatos esse III viros epulones anno a. Chr. 196 (Liv. XXXIII, 42) ut Cicero (de orat. III, 19, 73) dicit „propter sacrorum multitudinem". Addit Livius l. l.: his III viris item ut pontificibus lege datum togae praetextae habendae jus. Posteriore quodam tempore pro III viris creabantur VII viri, Caesaris aetate recepto nomine VII virorum decem (Dio Cass. XLIII, 51). Ex Ciceronis Liviique locis aperte elucet, fuisse eos non modo sacerdotum ministros, sed ipsos sacerdotes. Quare nomen epulonum pro parasitis usurpatum omnino rejiciendum est, cumque vocabulum *παράσιτος* ipsum in linguam latinam receptum sit, non est cur ab hoc nomine abhorreamus.

3) Pollux VI, 34, 35. — cf. Preller Polem. fragm. p. 119. — Schoemann antiq. p. 258.

παράσιτοι ἔστων ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων κατὰ τὰ πάτρια bene verba, quae antecedunt, excipiunt, quare suo loco legi videntur. Qua ratione constituendi sint parasiti aut alio loco ejusdem psephismatis, aut, quod equidem crediderim, omnino non ibi praescriptum erat, cum in Solonis lege, ni fallor, huic rei provisum esset. Infra videbimus parasitos esse *creatos*, qua re cum nihil aliud traditum sit, de his quoque parasitis idem judicamus. Num Clidemi (vel Clitodemi [1]) verba [2]): *καὶ παράσιτοι ᾑρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ* de parasitis in Cynosarge intelligenda sint, pro certo proponi non potest, quod nimis in universum dicta sunt quodque alii etiam Herculis parasiti erant. Idem judicandum est de verbis Philochori [3]): *ταὐτὰ ἱστορεῖ καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Τετραπόλει μνημονεύων τῶν καταλεγομένων τῷ Ἡρακλεῖ παρασίτων*, nam cum de Tetrapoli Attica Philochorus illo loco loquatur verisimillimum est, haec verba de parasitis in Cynosarge non dicta esse [4]). Jam in psephismate sequontur verba: *ὅς δ᾽ ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰσαγέτω καὶ περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον.* Quod ad hunc locum Prellerus nil adnotavit, quam maxime miror, nam verba quidem per se facile intelliguntur, neque in eis ipsis corruptela inesse videtur, sed cum eis, quae antecedunt nullo modo possunt conjungi. Quod Polemoni non exprobraverim, temere eum psephisma descripsisse, Athenaeo excerptori negligentissimo objicere non dubitaverim. Nam, ne dicam summam esse difficultatem subjectum ad imperativum *εἰσαγέτω* tam longe repetendi, quis vocabulum *καί* „etiam", quis pluralem *τούτων* potest explicare? Exciderunt igitur compluria, quae omisit Athenaeus, ut ad alterum parasitorum genus properaret, quod majore voluptate lectores affecturum esse speravit. Unde verba suppleamus solam habemus Solonis legem, sed summo

---

1) cf. Siebelis Phanodemi, Clitodemi *Ἀτθίδων* fragmenta. Lips. 1812. p. XII.

2) ap. Athen. VI p. 235. A.

3) ibid. p. 235 E.

4) cf. Gurlitt de Tetrapoli Attica dissert. Gotting. 1867. p. 44.

jure periculosissimum esse videtur e fragmento fragmentum restituere. Attamen probabilis ea est conjectura, in hoc quoque psephismate de munere plus semel non praestando sermonem fuisse. Sed hoc nondum sufficit. Num licet suspicemur, eum, qui plus semel fuerit parasitus, in jus esse vocatum? Quod judicandum esset, si statim minitatio ista legis haec verba secuta esset. Tum fere in easdem difficultates incideremus, ac si Plutarchi de epulis prytanum interpretationem accepissemus. Si vero ponimus, Solonem constituisse, ne quis plus semel parasitus esse *cogeretur*, Plutarchi verba non omnino retinemus, verisimilitudinem autem legis valde augemus. Ceterum ne haec quidem interpretatio ad prytanum epulas ullo modo quadrat. Quodsi aliunde de parasitis in Cynosarge repetere nil possumus, de supplenda ista lacuna acquiescendum nobis esse videtur atque transeundum ad ultima psephismatis verba. Quae sic verto: si vero quis parasitus esse noluerit, hunc propter ea quoque in jus vocato (sc. *ὁ ἱερεύς*). Concludi igitur potest, parasitum creatum non modo hoc munere fungi, sed etiam alia nescio quae negotia perficere coactum fuisse. Contra in Solonis lege hoc unum puniebatur, si quis parasitus esse nollet (*ἐαν δὲ ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται, κολάζει*). Sed ne, si Plutarchum vituperavimus, quod, quo pertineat Solonis lex non intellexerit, similem in nos culpam contrahamus, circumspiciendum nobis est, quaenam causa exstiterit, cur libenter, qui in Cynosarge parasiti erant creati, hoc munere liberari voluerint ita ut certis poenis ad officia praestanda cogi debuerint. Reliqui parasiti, quantum scimus, tali modo non cogebantur. Conjici igitur licet, parasitorum in Cynosarge munus ab reliquorum ministerio discrepuisse, quod verisimillimum est, cum molestiis quibusdam atque oneribus conjunctum id fuisse. Cum vero inter gravissima onera sint sumptus, inter jucundissima epulae, non dubito, quin, qui hoc munere liberari voluerunt, impensae magnitudinem timuerint. At epularum non erant expertes. Immo quia Herculis parasiti omnium antiquissimi esse videntur, nempe dei, qui inter primos Atticam terram invaserit, et quia ad eum ipsum largae atque opimae coenae

amicissimum [1]) proprie pertinent *παράσιτοι*, hi primi omnium parasiti a *παρασιτεῖν* nomen acceperunt. Herculis igitur ipsius quasi erant convivae, cui suis sumtibus largum convivium instruxerant [2]). Sed novae oriuntur quaestiones eae, quam saepe hae epulae sint celebratae, num certis quibusdam temporibus novi subsecuti sint parasiti, quantus fuerit numerus parasitorum, num praeter sacerdotem parasitosque alii quoque interfuerint epulis. Quibus quaestionibus omnibus certi nil responderi potest. Sed respiciendi sunt duo loci alter Theopompi, alter Athenaei ex quibus de vetustioribus parasitis nonnulla haud dubie possunt concludi. Alter locus Theopompi [3]) est hic: *ἱστορεῖ* (sc. Theopomp.) *δὲ περὶ αὐτοῦ* (sc. *Φιλίππου*) *ὡς τοῖς Ἀθήνησιν, εἰς τὸ Διομέων Ἡράκλειον* [4]) *ἀθροιζομένοις τοῖς τὰ γέλοια λέγουσιν ἀπέστελλεν ἱκανὸν κερμάτιον καὶ προσέτασσέ τισιν ἀναγράφοντας τὰ λεγόμενα ὑπ' αὐτῶν ἀποστέλλειν πρὸς αὐτόν.* Athenaeus [5]) dicit haec: *πλῆθος δ' ἦν* (sc. *γελωτοποιῶν*) *Ἀθήνῃσι τῆς σοφίας ταύτης· ἐν γοῦν τῷ Διομέων Ἡρακλείῳ συνελέγοντο ἑξήκοντα ὄντες τὸν ἄριθμον καὶ ἐν τῇ πόλει δὲ ὠνομάζοντο, ὡς „οἱ ἑξήκοντα τοῦτ' εἶπον" καὶ „ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι."*

---

1) cf. Eurip. Alcest; Aristoph. aves; Plaut. Stich. II, 1, 70; Athen. X p. 412. A. B.

2) Huic rei non obloquitur ceterorum spuriorum syntelia. cf. p. 14.

3) cf. Athen. VI, p. 260 A.

4) Idem est ac Heracleum in Cynosarge, nam Cynosarges in pago *Διωμείᾳ* (Hesych. v. *Διομεῖς* Ross. Demen p. 67) situm erat, qui aut ante portas jacebat (cf. Diog. Laert. VI, 1, 13. Antisth. *διελέγετο δ' ἐν Κυνοσάργει γυμνασίῳ μικρὸν ἄποθεν τῶν πυλῶν.* — Göttling. Berichte d. Verhandl. d. Kgl. sächs. Ges. d. Wiss. Phil. hist. Cl. VI. 1854. p. 19 sq.) aut partem urbis ipsius comprehendebat. Pertinebat autem ad phylam Aegeidem (cf. schol. Arist. ran. 651. *τὰν Διομείοις· δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς ἀπὸ Διόμου* (*ἐρωμένου*) *τοῦ Ἡρακλέους· ἔστι δὲ Ἡράκλειον αὐτόθι*). De nomine demi cf. Photium v. *Κυνόσαργες* ceterosque grammaticos. Quodsi Steph. Byz. v. *Κυνόσαργες* ed. Meineke pagum ipsum *Κυνόσαργες* nominatum esse narrat, fides ei non est habenda, cum in inscriptionibus inveniatur nemo, qui Cynosargi demo adscriptus fuerit (cf. O. Müller ad Leakium l. l.).

5) XIV p. 614 D.

ἐν δὲ τούτοις ἦσαν Καλλιμέδων ὁ Κάραβος καὶ Δεινίας, ἔτι δὲ Μνασιγείτων καὶ Μέναιχμος, ὥς φησι Τηλεφάνης, ἐν τῷ περὶ τοῦ ἄστεος· τοσαύτη δ' αὐτῶν δόξα τῆς ῥαθυμίας ἐγένετο, ὡς καὶ Φίλιππον ἀκούσαντα τὸν Μακεδόνα πέμψαι αὐτοῖς τάλαντον, ἵν' ἐγγραφόμενοι τὰ γελοῖα πέμπωσιν αὐτῷ. At utroque loco parasiti non commemorantur, neque Goettlingius [1]) hos LX homines ridiculos cum parasitis antiquis cohaerere dicit. Si vero sumimus, quod ab re non est alienum, parasitos Herculis in Cynosarge cotidie in templo vel in aedificio quodam sacro coenavisse, aliqua parasitorum cum LX scurris conjunctio se praebet. Estne autem credibile, non modo singulis mensibus Herculi esse sacrificatum, sed cotidie praeterea coenam ei esse instructam, cujus parasiti, quasi Herculis ipsius sodales, participes fuerint? [2]). Certissime menstrua sacra una cum sacerdotibus eis erant celebranda, quae convivium sequebatur cujus parasiti pro toto eorum, qui Cynosargi adscripti erant, conventu intererant. Nam de epulis omnium nothorum nusquam quidquam invenitur. Quare in universum dixerim, cum interesse sacris nil aliud sit ac convivii sacri fieri participem, cumque non constet ne credendum quidem sit, singulis mensibus, quicunque ad templum quoddam pertinebant, universos in templo coenavisse, parasitos mihi videri creatos esse, qui reliquorum quasi essent vicarii, qui pro toto conventu epulis interessent sacris. Sed infra alia hujus sententiae adferam testimonia. — Si a ceteris parasitis de his conclusionem faciamus licet, creabantur quotannis parasiti, quae vicissitudo annua in lege Solonis verbis: *τὸν δ' αὐτὸν οὐκ ἐᾷ σιτεῖσθαι πολλάκις* aliquo modo proba-

---

1) l. l. p. 23.

2) cf. Polem. ap. Athen. VI p. 234 D. *παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις εὑρίσκομεν τὸν παράσιτον ἱερόν τι χρῆμα καὶ τῷ συνθοίνῳ παρόμοιον.* Fritzschius (de Daetal. Aristoph. comment. Lips. 1824 p. 24) putavit, Aristophanis *δαιταλέας* parasitos esse in Cynosarge institutos, quam opinionem Meinekius (com. Graec. frag. II, 2. p. 1023) optime refutat, qui dicit, spurios Athenienses hujus comoediae instituto non convenisse. Ceterum hos *δαιταλέας* eosdem esse ac reliquos de quibus dicam Herculis parasitos, summo jure contendere videtur.

tur. Paullatim vero, cum vetus religio magis magisque labaret, hujus ministerii quoque sanctitas negligebatur. Manebant autem convivia, manebant convivae. Desiit fortasse vicissitudo quique semel homines divites atque desidiosi in illud convivarum collegium erant recepti, hunc conventum postea non reliquerunt. Sic indoles ea urbanitatis quasi hereditate ad eum transiit, qui recens sodalis ceterorum haud dubie cooptatione recipiebatur. Ut vero ne vetus quidem nomen remaneret, odium ni fallor effecit, quod huic nomini ex aliorum comoediae cotidianaeque vitae parasitorum genere adhaerebat. De numero LX valde dubito, quin idem fuerit antiquorum in Cynosarge parasitorum, quippe qui nimius esse videatur, sed ubi primum veteres leges negligi coeptae sunt, nil prohibuit, quominus nescio quam ob causam numerus augeretur. Fortasse duodecim olim Herculis in Cynosarge erant parasiti, quot in aliis Herculis templis erant. — Jamque hi ipsi mihi tractandi sunt, de quibus certius aliquo modo potest judicari, quamquam omittendum non est, non historicum quendam sed comicum prae ceteris de eis auctorem esse. Exstat enim apud Athenaeum [1]) Diodori Sinopensis fragmentum, quo poëta parasitorum originem nobilem multis verbis laudat. Dicit igitur primum, Jovem ipsum parasiticae artis fuisse inventorem, tum pergit (v. 21 sq.):

ὅτι δ' ἦν τὸ πρᾶγμ' ἔνδοξον ἀεὶ καὶ καλὸν
ἐκεῖθεν ἂν γνοίη τις ἔτι σαφέστερον
τὸν Ἡρακλέα τιμῶσα λαμπρῶς ἡ πόλις
ἐν ἅπασι τοῖς δήμοις θυσίας ποιουμένη
εἰς τὰς θυσίας ταύτας παρασίτους τῷ θεῷ
οὐπώποτ' ἀπεκλήρωσεν, οὐδὲ παρέλαβεν
εἰς ταῦτα τοὺς τυχόντας, ἀλλὰ κατέλεγεν
ἐκ τῶν πολιτῶν δώδεκ' ἄνδρας ἐπιμελῶς
ἐκλεξαμένη τοὺς ἐκ δυ' ἀστῶν [2]) γεγονότας

---

[1]) VI p. 239 B. F.

[2]) Cobet orat. de arte interpret. cet. p. 61. veram lectionem *δι' ἀστῶν* pro codicum *δυναστῶν* vel *δυαστῶν* levissima mutatione optime restituit.

ἔχοντας οὐσίας, καλῶς βεβιωκότας.
εἶθ' ὕστερον τὸν Ἡρακλέα μιμούμενοι
τῶν εὐπόρων τινὲς[1] *παρασίτους ἑλόμενοι*
τρέφειν, παρεκάλουν οὐχὶ τοὺς χαριεστάτους
ἐκλεγόμενοι, τοὺς δὲ κολακεύειν δυναμένους
καὶ πάντ' ἐπαινεῖν κτὲ...

Quae sequontur reliqua non digna sunt quae describamus, cum ad rem nil faciant, cumque solum parasitorum posteriorum perditissimos mores obscoene depingant. Jam singula quaeramus. Narrat Diodorus Athenis, ut quam splendidissimo honore Hercules deus afficeretur ad sacra instituenda duodecim hominum nobilissimorum esse electos. Postea divites nonnullos homines Herculem imitantes parasitos sibi elegisse non nobilissimos sed spurcissimos homines atque hoc modo genus illorum adulatorum atque assentatorum, qui tunc nomine parasitorum vocarentur, ortum esse. Haec in universum in versibus supra allatis contineri videntur. Sed video Casaubonum[2] omnino aliter haec verba esse interpretatum. Dicit enim: „olim publice Athenis alebantur (parasiti) in singulis pagis in honorem Herculis, postea magistratus, ut hoc sumptu liberarent rem publicam, divites elegerunt, quibus alendos parasitos traderent, *τρέφειν παρεκάλουν* de magistratu intelligendum; utique si legas *τῶν εὐπόρων τινάς*. Sin scribas *τινές* paululum diversa sententia expones, ipsi divites hortabantur sese ad exhibendos parasitos.“ Sed jam Petitus[3] intellexit, Casaubonum valde errasse. Neque enim vidit, verba inde ab *εἶθ' ὕστερον* non simplicem esse ac veram narrationem sed ingenio deberi poëtae, qui hoc modo illiberalem parasitorum naturam faceta quadam inventione nobilem reddere vellet. Neminem autem potest fugere, eos parasitos, qui divitum epulis *ἀσυμβόλους*[4] *οὐ καταβαλόντες* interesse solerent, inde ab antiquissimis exstitisse temporibus,

---

1) *τινὲς* conjecit Casaubon. recte pro codd. *τινάς*.
2) Schweighaeus. ad Athen. III p. 407; Petitus legg. Att. p. 164.
3) legg. Att. l. l.
4) cf. Diodor ap. Athen. VI p. 239. v. 6.

neque nobilium hominum demum luxuria ac superbia, qua ipsos deos imitari vellent, ortos esse. Postremi tamen Diodori versus non praetermittendi sunt, quia cum eis qui antecedunt comparati certiorem reddant sensum priorum. Quae de prioribus parasitis poëta nobis tradit, veritatis speciem prae se ferunt, sed caveamus necesse est, ne singula verba nimis premamus neve artificiosius quam verius nonnulla extricemus. Ac primum quidem si verba respicimus:

ἐν ἅπασι τοῖς δήμοις θυσίας ποιουμένη
εἰς τὰς θυσίας ταύτας παρασίτους τῷ θεῷ
. . . . *κατέλεγεν*

id agitur, utrum in omnibus pagis Atticis an in quibusdam parasiti electi sint. Casaubonus et Petitus id contenderunt, in singulis pagis omnibus duodenos parasitos creari solitos esse. At etiamsi Harpocration dicit [1]), *compluria* in Attica terra Heraclea exstitisse, vix credi potest, suum quemque pagum habuisse Herculis templum. Ubi vero templum non erat certe duodecim parasiti necessarii non erant, cum nisi in templis non sacrificabatur. Quae res cum nihil valeret ad id, quod poëta probare voluit, liberiori modo, quod historico non licuit in majus rem extulit. Neque a veritate longe aberravit. Nam, quod postea clarius etiam patebit, ei pagi, in quibus templa Herculis erant, eos, qui circum se essent siti temploque carerent, ad communem Herculis cultum sibi adjungebant. Erant igitur societates quaedam pagorum, quibus praeerant magistratus a singulorum pagorum incolis creati. Hoc modo omnes pagi sacrificiorum erant participes, etiamsi in singulis pagis omnibus sacrificia non instituerentur. Quae quidem res a Diodoro Sinopensi non traditur, neque alio quodam testimonio expressis verbis probatur, sed ne dicam de amphiktyoniis similiter institutis, exstat inscriptio quaedam, qua cum Sauppio, viro doctissimo [2]), pro mea opinione uti voluerim. Docemur hac inscriptione [3]), Polyeuctum quen-

---

1) p. 139. v. *Ἡράκλεια.*
2) Jenaische Literaturzeitung 1845. Nr. 60. p. 238.
3) cf. Curtius Inscript. Attic. nuper repert. XII. Berol. 1843. p. 3.

dam, qui ab incolis *τῆς Μεσογείας* creatus erat communium sacrorum antistes: *ἐπειδὴ . . . ἐπεμελήθη τῆς τελετῆς καὶ τῆς πομπῆς τῷ Ἡρακλεῖ* et quia permulta alia officia sacra optime perfecisset, Olbio archonte, rogante Amynomacho quodam *Βατῆθεν* corona aurea esse coronatum. Nonne apparet incolas *τῆς Μεσογεῖας* [1]) ad res sacras Herculi faciendas certo quodam vinculo conjunctos fuisse? Mesogaea autem e compluribus constabat pagis. Quodsi de parasitis sermo ibi non est, mirum non est, quoniam, ut ex nomine archontis apparet multo posterioribus temporibus ortus est ille titulus, quibus parasitorum collegia non jam creabantur [2]). Si vero una pagorum quorundam societas certo exstitit, Sauppii conjectura (l. l.) totam Atticam ad Herculis cultum celebrandum in partes quasdam divisam fuisse, quibus singulis archon praeesset praeter verisimilitudinem esse non videtur. Neque vero cum eo putaverim, istam partitionem fortasse etiam ad aliorum deorum cultum pertinuisse, cum probari non possit pari modo alios quoque deos ab omnibus pagis cultos esse. Neque in eisdem pagis complurium deorum erant templa celeberrima. Sed ad Diodorum revertamur necesse est. Ex eis igitur, quae jam probare conati sumus, patet duodenos parasitos e singulis pagorum societatibus sacris esse creatos. Monendum est, quod Diodorus id imprimis premat, parasitos non sortė sed creatione esse constitutos. Quae res Clidemi verbis: *καὶ παράσιτοι ἡρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ* [3]) omnino confirmatur, cumque de parasitis in Cynosarge contrarium non constet, ibi quoque parasitos creatos vel electos esse contendimus. Diodorus quidem de Herculis parasitis in Cynosarge non locutus est. Nam quamquam verba *ἐκ δύ ἀστῶν* in codicibus non inveniuntur, tamen Cobeti conjectura, quippe quae

---

[1]) cf. Schoemann de comitiis p. 342 sq. Leakius de pagis Att. ed. Westerm. p. 7.

[2]) Quod ex ipsa inscriptione fit verisimile, cum plurima officia, propter quae coronatus est Amynomachus ejusmodi esse videntur, quibus antea parasiti fungebantur.

[3]) Athen. VI p. 235 A. Philochor. ap. eund. p. 235 E.

Demosthenis loco [1]) quam maxime fulciatur, omnino mihi firmissima esse videtur. Cynosarges autem fere semper a solis spuriis frequentabatur, neque quoque tempore ibi inveniebantur, qui ab utroque cive Attico oriundi erant. Quare etiam Heracleum in Cynosarge non erat templum, ad quod incolae pagi Diomeorum pertinebant, nisi cum Muellero [2]) id sumimus, nothos omnes in hoc ipso pago habitasse. Ei igitur hujus pagi incolae, qui spurii non essent, fortasse cum ipsa urbe Athenarum sacram societatem ad Herculem celebrandum inierant. Ceterum, ut Diodorus dicit, non solum cives Athenienses, sed qui divites (*ἔχοντας οὐσίας*) et integri (*καλῶς βεβιοκότας*) essent ad munus parasitandi eligebantur. Et haec ipsa res etiam probare mihi videtur, parasitos Herculis perpetuos (i. e. per annum singulos) fuisse ejus convivas [3]).

Nam his viris omnium probissimis atque honestissimis, cotidianis dei sodalibus, Hercules ipse maxime ornabatur, ei ipsi vero his epulis summo honore afficiebantur. Non negaverim praeterea alia sacrificia eis fuisse celebranda, quamquam hac ex re cum Petito [4]) numerum eorum non ita explicaverim, duodecim esse electos quot scilicet essent anni menses, quia singulis mensium Kalendis sacra Herculi facerent. Quodsi autem psephisma illud, de quo supra diximus, solos Herculis in Cynosarge parasitos menstrua sacrificia cum sacerdote instituere jubet non mirum est, quoniam de his solis editum est. Utrum epulae illae sacraque impensis instructa sint pa-

---

1) *πρὸς Εὐβουλίδην* p. 1313.
λοιπὸν δέ μοι περὶ ἐμαυτοῦ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τὸ μὲν ἁπλούστατον· οἶμαι καὶ δικαιότατον ἐξ ἀμφοτέρων ἀστῶν ὄντα με κεκληρονομηκότα καὶ τῆς οὐσίας καὶ τοῦ γένους εἶναι πολίτην οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὰ προσήκοντα πάντα ἐπιδείξω, ὡς εἰσήχθην εἰς τοὺς φράτορας, ὡς ἐνεγράφην εἰς τοὺς δημότας, ὡς ὑπ' αὐτῶν τούτων προεκρίθην ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις κληροῦσθαι τῆς ἱεροσύνης τῷ Ἡρακλεῖ κτέ.

2) ad Leakium p. 442.

3) cf. Meineke com. Gr. fragm. II, 2. p. 1021 sq. de Aristophanis Daetalensibus huc referendis.

4) l. l. p. 154.

rasitorum, an totus eorum, qui ad certum quoddam Herculis templum pertinerent, numerus sumptus toleraverit nescimus. Sed ex Diodoro conjicere possumus imprimis ex vocabulis ἔχοντας οὐσίας ipsos parasitos suppeditavisse sumptus eodem modo atque ei, qui in Cynosarge parasiti erant creati At non addit poëta coactos fuisse eos, qui creati essent parasitari. Fortasse quia nothis διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἀγχιστείαν magnae res familiares esse non solerent, formula illa legi subjuncta: ὃς δ' ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν εἰσαγέτω καὶ περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον ad suscipiendum onus cogebantur, cum ceteri (οὐσίας ἔχοντες) parasitari non recusarent. Quanam ex re Causabonus concluserit, divites illos homines a civitate creatos non ipsos fuisse parasitos, immo aluisse parasitos, non video, nisi forte ex ultimis, quos exscripsi Diodori versibus. Sed intellexerit velim omne claudicare simile. Non quia posteriores parasiti erant pauperes et quia a divitibus alebantur, Herculis quoque parasiti pauperes esse debebant. Immo vocabulum οὐχὶ contrarium clare significare mihi videtur, τῶν εὐπόρων τινάς cum Hercule ipso comparari, quocum cotidie parasiti epulentur. — Quomodo creati sint parasiti, ut nunc praetermittam alios locos praecipue legis regiae, Diodorus non tradit, sed Demosthenis, quem attuli, loco [1]) apparet, paganos ipsos, neque vero archontem regem vel archontes sacrorum [2]) elegisse parasitos. Vicissitudo annua horum quoque parasitorum dubia non est. Sic ceteri Herculis parasiti aeque atque ei, qui in Cynosarge erant omnino pro eis omnibus, quibus Herculis cultus erat celebrandus, soli erant quasi vicarii, qui suis sumtibus omnia pro reliquis curarent, qui pro omnibus cum sacerdote sacra instituerent, qui cotidianum hujus dei cultum celebrarent. Quaenam alia officia eis perficienda fuerint, non constat, sed quod jam dixi, plurima eorum officiorum, quae in inscriptione illa supra allata archonti tribuuntur, antea parasitorum fuisse putaverim. Sed liceat ea verba, quae huc facere mihi videantur, afferre: ἐπειδὴ

---

1) πρὸς Εὐβουλίδην p. 1313.
2) cf. Curtius inscript. XII. l. 1.

.... ἐπεμελήθη δὲ [καὶ τῆς θυσ]ί[α]ς καὶ τῆς κρεονομίας καὶ τῆς ἐπικοσ[μήσεως τῆς τ]ραπέζης, ἐμέρ[ι]σεν δὲ καὶ εἰς τὸν οἶνον ..... ντην δραχμὰς ὀκτώ κτέ. Optime hujuscemodi negotia parasiti poterant perficere, cum omnia, quae cum epulis cohaererent, eis curanda essent [1]). Certe si haec negotia omnia posterioribus temporibus [2]) archon curavit, parasitis relicta erant nulla, quare constat, ni fallor, illius inscriptionis tempore parasitos non jam exstitisse. Fortasse belli Peloponnesiaci temporibus vetus ille mos eligendi parasitos obsolevit, cum non in omnibus pagis invenirentur, qui onus illius muneris possint tolerare.

Denique si quis est, qui miretur, quod Herculi heroï tam splendidus cultus institutus sit, responderi potest, Herculem non modo antiquitus Athenis cultum esse, sed ab Atheniensibus primis pro *deo* esse adoratum [3]). Praeterea scimus maximam in Attica terra fuisse multitudinem Heracleorum, quae a Theseo heroë Herculi tradita esse dicebantur [4]), Marathone et in Cynosarge ludos Herculi esse celebratos [5]), ita ut, quin summi honores tributi sint Herculi deo dubitari omnino ne-

---

1) cf. Athen. IV p. 171 D. E. εὑρίσκω δὲ καὶ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου (Ol. CIII, 3. vel CXIV, 2) ἄρχοντος, ἐν ᾧ ὥσπερ τι σύστημα οἱ προτένθαι εἰσί, καθάπερ οἱ παράσιτοι ὀνομαζόμενοι. cf. Mommsen Heortol. p. 307. Instruenda erant his *protenthis* epulae in diebus sollemnibus τῶν Ἀπατουριῶν.

2) De tempore hujus inscriptionis disputat Rangabé antiq. hell. II. p. 121. Ostendit, eum, qui in inscriptione nominetur Ἀμυνόμαχος Φιλοκράτου Βατῆθεν, inveniri etiam in Diogenis Laert. vita Epicuri inter eos, qui testamentum ejus aperuerint. Quam ob rem circa Ol. CXXVII inscriptio orta esse videtur.

3) cf. Preller. Griech. Mythol. p. 258. 259. Pausan. I, 32, 4.

4) Plut. Thes. 35. καὶ ὅσα ὑπῆρχε τεμένη πρότερον αὐτῷ (sc. Θησεῖ) τῆς πόλεως ἐξελούσης ἅπαντα καθιέρωσε Ἡρακλεῖ καὶ προσηγόρευσεν ἀντὶ Θησέων Ἡράκλεια πλὴν τεσσάρων, ὡς Φιλόχορος ἱστόρηκεν. — cf. Müller Dorier ed. II p. 442 cujus miram de parasitis e spuriis in Cynosarge eligendis sententiam non probaverim.

5) cf. Pind. Ol. IX, 29. Arist. ran. 650. Erat autem utrumque Heracleum eximia celebritate. cf. Herod. VI, 16.

queat. Inter quos honores epulae istae, ni fallor, cotidie ei parasitisque institutae numerandae sunt praecipue.

Sed jam ad eos parasitos transeundum nobis est, qui in aliorum deorum cultibus commemorantur. Quod si facimus fieri non potest, ut ubique de cujusque cultus parasitis solis disseramus, cum natura fontium sit ea, quae saepe dubium relinquat, ad parasitos cujusnam dei pertineant ea, quae in fontibus ipsis tradita sunt.

Inter ceteros, quos de parasitis invenimus locos summa auctoritate est lex, quae dicitur regia. Cujus quod fragmenta solum eaque satis lacerata nobis servata sunt valde dolendum est, quia si tota nobis servata esset de Atheniensium rebus sacris ignoraremus fere nihil. Porro accidit incommodo, quia, quot ejus fragmina aetatem tulerunt Athenaei temere conscriptis libris ad nos pervenerunt, qui cum modo huc modo illuc quidquam excerperet, multa sed non multum nobis tradidit. —

Satis notum est archontem regem aeque atque apud Romanos regem sacrificulum solas res sacras curavisse, ut rite celebrarentur [1]). Sed erravit Prellerus (l. l.) quod ipse postea intellexit [2]), qui putaret, regem ipsum de rebus sacris leges tulisse. Immo lex quaedam exstabat, cui nomen erat *νόμος βασιλέως*, qua videntur praescripta esse, quaecunque ad res sacras pertinebant [3]). Quamquam accurate dici non potest, quo tempore illa lex, cujus fragmenta Athenaeus servavit, lata sit, pro certo tamen accipi potest, post Solonem eam esse ortam, cum verba: *κατὰ τὰ γεγραμμένα* [4]) probare videantur, praecessisse aliam legem, ni fallor, Solonis, ante

---

[1]) cf. Preller Pol. fragm. p. 118. Petitus legg. Att. p. 158. — Pollux VIII, 90. — de Romanorum rege sacrificulo Livius. II, 2. cum interp.

[2]) cf. Preller. Pol. fragm. addend. et corrig.

[3]) cf. Meier u. Schoemann. Att. Proc. p. 171. anm. 15 ubi aliae leges nominantur, quae a persona ejus, ad quem pertinebant, non a re, de qua latae erant, nomen acceperunt.

[4]) Athen. VI p. 235 C.

quem scriptae leges non commemorantur. — Incipiendum mihi esse videtur non ab eo fragmento, quod Athenaeus primum posuit, sed ab eo quod legitur p. 235 C. Hoc quoque fragmentum Athenaeus haud dubie ex Polemone hausit, quam ob rem hunc quoque locum in Polemonis, quas collegit, reliquias recepit et accuratius de eo locutus est[1]). Jam exscribo fragmentum tali modo, quali ipse scribendum id esse putaverim: *διὸ καὶ ἐν τῷ βασιλέως νόμῳ γέγραπται ταντί· ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα τῶν τε ἀρχόντων ὅπως ἂν καθιστῶνται, καὶ τοὺς παρασίτους ἐκ τῶν δήμων αἱρῶνται κατὰ τὰ γεγραμμένα .... τοὺς δὲ παρασίτους ἐκ τῆς βουκολίας .... ἐκλέγειν ἐκ τοῦ μέρους τοῦ ἑαυτῶν ἕκαστον ἑκτέα κριθῶν .... δαίνυσθαί τε τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἐν τῷ ἱερῷ κατὰ τὰ πάτρια· τὸν δ' ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ ἀρχεῖα τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν.* Prellerus etiam plures lacunas indicavit, neque omnino negaverim, ne eum quidem satis earum significasse. Sed eae, quas ipse notavi, necessario desiderantur, de reliquis difficilius est judicium. Ne quid praetermittamus, singula persequamur necesse est, quod ita faciemus, ut non omnes hominum doctorum de singulis locis apud Petitum et Schweighaeuserum opiniones collectas adjiciamus, nisi ad veram interpretationem quid proficiant. Ac primum quidem vocabulum *διό*, quo Athenaeus vel Polemo causam, cur legem regiam afferat, indicat, ea respicit, quae antecedunt, ubi ex secundo libro a Cratete de dialecto Attica scripto laudatus est locus hic: *καὶ ὁ παράσιτος νῦν ἐπ' ἄδοξον μὲν κεῖται πρᾶγμα, πρότερον δ' ἐκαλοῦντο παράσιτοι οἱ ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενοι, καὶ ἦν ἀρχεῖόν τι παρασίτων.* Quomodo hic frumenti delectus explicandus sit in interpretatione legis ipsius videbimus. Cujus prima verba usque ad vocabula *κατὰ τὰ γεγραμμένα* vario modo ab interpretibus intellecta sunt et ne Prellerus quidem, quamquam de archontibus recte judicavit, omnino verum vidit. Nam post vocabulum *γεγραμμένα* excidisse putat nonnulla ob eam causam, quod vocabulis *τῶν τε ἀρ-*

[1]) l. l. p. 121.

χίντων nihil respondeat. Sed, ni fallor, vocabulo *τε* respondet *καί* post *καθιζῶνται*, quod cum Prellerus non neglexisset falsa interpretatione effecit, ut hoc *καί* ad *τε* referri non possit. Cum enim contendat, parasitos non a paganis, sed ab archontibus creatos esse, vertit hoc fere modo: curato rex, ut archontes eligantur, qui parasitos e singulis pagis creent. Neque vero quidquam prohibet, quominus vertamus: curato rex, ut archontes constituantur et ut parasiti e singulis pagis eligantur [1]). Tum nihil desideratur et quamquam ego quoque lacunam post *τὰ γεγραμμένα* statuo, aliam ob causam hoc facio. Quaerendum est autem, quinam fuerint *ἄρχοντες* illi, nam de archontibus rei publicae cogitari non posse jam Petitus [2]) vidit. Verum invenit Prellerus, qui in adnotatione addit: *τῶν ἱερῶν*, sed nihil de eis dixit, quare quia una cum parasitis compluries nominantur archontes et vinculo quodam cum eis cohaerere videntur, paullo latius de eis perscrutemur necesse est. In universum, quicunque collegio vel societati praeerant significari hoc nomine potuerunt [3]), sed maxime, ubi hoc vocabulum invenimus, de *κατ' ἐξοχὴν* archontibus rei publicae Atheniensium usurpatum est. Nominantur praeterea *ἄρχοντες τῶν γένων*, qui singularum praeessent gentium communibus sacris rite celebrandis. Quam rem optime demonstrat titulus quidam, quem Meierus [4]) secundum Rossii apographum in publicum edidit, quo continetur catalogus eorum, qui ad gentem Amynandridarum pertinebant. Initium afferam: *Ἀγαθῇ τύχῃ ἐπὶ Ἀρείου τοῦ Δωρίωνος Παιανιέως ἄρχοντος τῆς πόλεως, ἄρχων τοῦ γένους τοῦ Ἀμυνανδριδῶν*

---

[1]) Non quo *αἱρῶνται* pro passivo accipiam, sed III pers. plur. activi vel medii saepe ad exprimendum Germanicum „man" adhibetur. cf. Buttmann. griech. Gramm. §. 129, 19. Praeterea cf. Athen. VI p. 235 A. *καὶ τοὺς παρασίτους, οὓς ἂν ἐκ τῶν δήμων προαιρῶνται.* — Demosth. *πρὸς Εὐβουλίδην* p. 1313.

[2]) l. l. p. 159 cum notis aliorum.

[3]) cf. Dittenberger de ephebis Atticis diss. Gotting. 1863. p. 48 qui de principe epheborum (*ἄρχων ἐφήβων*) eo loco disserit.

[4]) Allgem. Literaturztg. 1838. Novemb. p. 354. Inventa est inscriptio in acropoli Athenarum.

Ἄρειος Δωρίωνος Παιανιεὺς τούσδε ἀνέγραψεν γεννήτας, ἐπιδειξάμενος τὸ δαπάνημα ἐκ τῶν ἰδίων. Ἄρχων τοῦ γένους: [Ἄρειος] Δωρίωνος Π[αι]α[νι]εύς· Ἱε[ρ]εὺς Κέκρο[π]ος: Ἀρίστων Σωσικράτους Ἀθμονεύς· Ταμίας τοῦ γένους Ἡμόδωρος Ἡμοδώρου [Β]ατῆθεν.....[1]) Videmus cujusque gentis gentiles sodalitate quadam conjunctos fuisse [2]), cui praeessent *ἄρχων* et *ἱερεύς* et *ταμίας*, ut heros eponymus vel, quem colerent singulae gentes heroëm, rite adoraretur. Sed tales sodalitates non modo erant gentilium, sed gentium quoque quae eodem cultus vinculo conjunctae erant, denique quod supra demonstrare conatus sum pagorum quoque, qui ad unum idemque dei cujusdam templum pertinebant. Nam in inscriptione ea quam e Curtii libro [3]) attuli *Πολύευκτος* nominatur *ἄρχων κατασταθεὶς ὑπὸ τῶν Μεσογείων τὸν ἐνιαυτόν τὸν ἐπὶ Ὀλβίου ἄρχοντος*, incolas Mesogaeae ad Herculis sacra perficienda conjunctos fuisse videmus. In lege regia*) vox *ἄρχων* de omnibus intelligenda est archontibus, qui sodalitatibus ad res sacras celebrandas institutis praeessent, nam cum archon rex de litibus inter singulas gentes jus diceret [4]), non dubito, quin privata quoque sacra rite obeunda et archontes quotannis [5]) creandos observaverit. Parasiti autem, quod ex ipsis inscriptionibus intelligitur, non in omnibus sodalitatibus sacris creabantur, sed in eis solum, quae deos colebant, quibus *κατὰ τὰ πάτρια* parasitorum collegia erant instituenda. Imprimis autem praeter Herculis Minervae quoque Pallenensis cultus desiderabat parasitos, de qua re infra dicendum erit. Ex re ipsa autem necessario consequitur, parasitos non ab archontibus, sed ab eis esse creatos, quicunque ad sodalitatem quandam sacram pertinebant. Nam aeque ac sacerdos et archon

---

1) Sequontur nomina gentilium secundum singulas phylas ordinata.

2) cf. schol. Platon. p. 373. *γεννήταις· γεννῆται· οἱ τοῦ γένους μετέχοντες καὶ ἀπ' ἀρχῆς ἔχοντες κοινὰ ἱερά.*

3) XII inscript. Att. p. 3.

*) scilicet in eo fragmento, quod tractamus.

4) cf. Pollux VIII, 90.

5) Curtius l. l. p. 3. vv. 2. 3. *τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπὶ Ὀλβίου ἄρχοντος.*

parasiti quoque sodalitatis quasi erant magistratus, qui cur alio modo atque alii creandi fuerint non intelligitur, neque quod dixi, ex lege regia concludendum est [1]). Tamen cum Prellero lacunam post vocabula *τὰ γεγραμμένα* statuo, sed ob eam causam, quia prima verba legis in universum praescribere videntur, ut rex omnium archontum atque parasitorum creationem curaret, quod quae sequontur de certis quibusdam diebus festis intelligenda sunt, quare necesse est excidisse nonnulla, quibus indicantur. Facit autem pro mea sententia cum commemoratio templi (*ἐν τῷ ἱερῷ*) tum parasitorum Acharnensium Apollinisque ipsius. Quodsi huic loco legis regiae subjungimus alium [2]) *κἀν τοῖς τοῦ βασιλέως δὲ νόμοις* [3]) *γέγραπται· θύειν τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους*, de diebus quibusdam festis Apollinis rem agi, quibus *πανθοινία* *civium* Atheniensium (nam verba: *δαίνυσθαί τε τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἐν τῷ ἱερῷ* nil aliud possunt significare) institueretur, Apollini primitiae offerrentur quis est qui neget? Nam parasiti *ἐκ τῆς βουκολίας* [4]) i. e. e grege sacro, qui publice alebatur, ut sacris publice faciundis inserviret, boves nonnullos — excidit post v. *βουκολίας* verbum haud dubie similis significationis atque *ἐκλέγειν* — porro sacri hordei ex sua quisque parte sextarium eligere [5]) jubentur. De-

---

[1]) Falso judicat Pastoret histoire de la législation p. 333.

[2]) Athen. VI p. 234 F.

[3]) *νόμῳ* scribi malim, quia ceteris locis omnibus legis regiae, non legum fit mentio.

[4]) Petiti conjectura *ἐκτὸς βουκολίας* „sine dolo malo" omnino rejicienda est. Neque enim in lege verba, quae a comicis modo usurpantur ridiculo sensu (cf. Arist. Eccles. 81) existere possunt. Eorum vero conatus, qui vocem *βουκολίας* aliud significare dicebant (cf. Casaubon. ap. Schweighaeus. ad Athen. III p. 367. — Petersen. Arch. Ztg. X n. 37. p. 410) ac gregem sacrum, nempe „jugerum agri, ex quo fas fuit parasito cuique hordei hecteum exigere" vel „bubile", vani esse videntur, cum aliis locis omnino probari nequeant, necessarii autem non sint. Num forte Casaubonus et Petitus parasitum a *σῖτος* esse nominatum putabant?

[5]) Lacunae signum non cum Prellero post vocabulum *ἐκλέγειν* po-

inde sextarii delecti parasitis Acharnensium in Apollinis ἀρχεῖα erant deferendi, civium [1]) vero Atheniensium cuivis licuit epularum publicarum esse participi. De urbe Athenarum autem sermo non est, immo aperte patet in pago, cui nomen Ἀχαρναί erat [2]), festos illos dies esse celebratos. Pausanias de hoc pago dicit [3]): ἔστι δὲ Ἀχαρναὶ δῆμος· οὗτοι θεῶν Ἀπόλλωνα τιμῶσιν Ἀγυιέα καὶ Ἡρακλέα. Est igitur verisimillimum pagos circa Acharnas sitos foedus iniisse sacrum ad sacra quaedam in templo Apollinis Acharnensium celebranda. Quotannis parasiti eligebantur, qui necessaria cum archonte ceterisque magistratibus societatis curarent omnia. Inter gravissima autem parasitorum negotia fuisse videtur frumenti delectus. Ex verbis legis intelligimus parasitorum cuiquam certam partem terrae esse tributam, ex qua frumentum exigeret. Possidebat autem, quo templum quodque majore erat dignitate, eo latiora arva, quorum ex locatione sumptus publicorum sacrorum tolerarentur [4]). Sic Acharnensis quoque Apollinis agros, Acharnis et in vicinis pagis sitos, conduxerant nonnulli homines, ex quibus parasiti frumenti decumas fortasse mercedulam quoque exigere debebant. Ceterum ex unoquoque illius societatis sacrae pago unus parasitus vel bini creabantur — in inscriptione anathematis in templo Minervae Pallenensis duo parasiti ejusdem pagi sc. Gargetti nominantur [5]) — aut pro multitudine incolarum parasitorum numerus erat constitutus. Acharnis vero ipsis per

---

sui, cum ex verbis ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν appareat, ipsum verbum ἐκλέγειν non de bubus, sed de frumento esse h. l. usurpatum.

[1]) Nam *cives* Athenienses sunt *οἱ ὄντες Ἀθηναῖοι*. cf. Thuc. VII, 8 *τὰ ὄντα ἀπαγγέλλειν* „vera nuntiare“. Preller l. l. p. 122: *οἱ ὄντες Ἀθηναῖοι* i. e. „cives genuini“ oppositi *τοῖς νόθοις*.

[2]) cf. de situ ejus Ross. Demen p. 62.

[3]) I, 31, 6. — Schol. Arist. Plut. 621.

[4]) cf. Petitus l. l. p. 160. Harpocrat. v. ἀπὸ μισθωμάτων. Qua re de sacro frumento campi Rharii (cf. Paus. I, 38, 6) h. l. non cogitandum est.

[5]) cf. Athen. VI p. 234 F.

annum commorabantur parasiti, nam ex alio loco ejusdem legis regiae certiores fimus, exstitisse ibi domum parasitorum *παρασίτειον* nominatam. Quod haec verba certo probant [1]): *ἐν τῷ αὐτῷ νόμῳ τάδε γέγραπται· εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ νεὼ τοῦ ἀρχείου τοῦ παρασιτείου καὶ τῆς οἰκίας τῆς ἱερᾶς διδόναι ἀργύριον, ὁπόσον ἂν οἱ τῶν ἱερῶν* [2]) *ἐπισκευασταὶ μισθώσωσιν.* At opinioni meae valde obloqui videtur Pollux [3]): *καὶ ἀρχεῖόν τι Ἀθήνησι παρασίτιον καλούμενον, ὡς ἐν τῷ νόμῳ τοῦ βασιλέως ἔστιν εὑρεῖν*, nam aperte videtur indicare, parasitorum quasi curiam in ipsa urbe fuisse Athenarum. Et Petersenius [4]) huic rei confidens omnino contraria de parasitis contendere non cunctatus est. Dicit enim, quoniam legis regiae singulae partes, quae nobis traditae sint, omnino non cohaereant, de parasitorum Acharnensium domo cogitari omnino non posse. Porro vocabulum *βουκολία* idem putat significare ac *βουκολεῖον* [5]), dubitarique non posse, quin de epulis in prytaneo publicis sermo sit. Tum, ne molestiae orirentur parasitis — nempe „coquis publicis" — longinquitate publici granarii, parasitium in vicinitate *τοῦ βουκολείου* situm fuisse statuit, ceteraque permulta a lege regia omnino aliena. At Pollucisne testimonium nihil valet? Immo maxime.

Sed Pollux, quibus locis de lege regia loquitur [6]) eosdem respicere videtur, qui apud Athenaeum nobis quoque praesto sunt. Quare Pollux non minus conjecit, quam nosmet ipsi, neque causa est, cur difficilius vera possimus cognoscere, quam ille. Sed ne discrepat quidem a nobis. Nam vox *Ἀθήνησιν* non solum de ipsa urbe sed etiam de pagis erat posteriori-

---

1) Athen. VI p. 235 D.

2) Sic scribendum est pro *ἱερέων* editionum.

3) VI, 34, 35.

4) Arch. Ztg. X n. 37. p. 400.

5) Bekk. anecd. I p. 449. v. *ἄρχων, ὁ μὲν βασιλεὺς καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ βουκολείῳ· τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ πρυτανείου.*

6) III, 39; VI, 35.

bus temporibus usitatissimum [1]), et Prellerus quoque dicit [2]): cave illud *Ἀθήνησι* de ipsa urbe Athenarum intelligas. Itaque Acharnis hoc *παρασίτειον*, quod in lege regia invenitur, erat neque de parasitorum in urbe peculiari domo quidquam traditum nobis est. Nam, etiamsi in urbe parasiti quoque erant (sc. *ἐν τῷ Ἀνακείῳ*), non consequitur, aedificium quoque exstitisse, cui nomen esset *παρασίτειον*. *Ἀρχεῖον* illud a parasitio non videtur diversum fuisse, sed idem erat aedificium et *ἀρχεῖον* [3]) et *παρασίτειον*. Tum *ἡ οἰκία ἡ ἱερά* et *τὸ ἱερόν* differre non videntur, nam *τὸ ἱερόν* de templo ipso non intellexerim, in quo ipso epulae non instruerentur. Sed circa templum alia permulta erant aedificia varii usus, inter quae unum prae ceteris *τὸ ἱερόν* vel *οἰκία ἡ ἱερά* vocabatur, quodque publicis civium epulis inserviret sacris. Nondum tamen omnia patent, nam in primo fragmento compluria nominabantur *ἀρχεῖα*, in quae parasiti selectos sectarios deferrent, neque de plurali quin recte habeat dubitandum est. Prellerus post *ἀρχεῖα* lacunae posuit signum „cum vel per se manifestum sit, nonnulla excidisse, quia arguant ea, quae Polemo praemiserit *θύειν τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους*.“ Sed „per se“ lacunae causa non intelligitur, quod verba: *τὸν δ' ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ ἀρχεῖα τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν* omnino

---

1) Cujus usus apud lexicographos innumera inveniuntur exempla et non solum eo sensu usurpatur vox *Ἀθήνησιν*, ut aeque ac *Ἀθηναῖοι* de *republica* Atheniensium intelligendum sit (cf. Hesych. v. *Λεωντίς· φυλὴ Ἀθήνησι*; Phot. 214. - Append. proverb. IV, 11 *Καλλίστρατος Ἀθήνησι πολιτευσάμενος*. - Phot. 648. *Φιλλεῖδαι· γένος ἐστὶν Ἀθήνησιν*. — id. 567. *ταμίαι· ἄρχοντες εἰσιν Ἀθήνησιν*) sed eo quoque, ut locos quosdam *extra urbem Athenarum* ipsam sitos significet (cf. Hesych· *Λαύρεια· τὰ Ἀθήνησι χρύσεια μέταλλα λεγόμενα*). — id. *Λαμπρὰ καθύπερθεν καὶ Λαμπρὰ ὑπένερθεν· δῆμοι Λαμπραὶ Ἀθήνησιν*. — Photius 521. *Σκίρον· τόπος Ἀθήνησιν, ἐφ' οὗ οἱ μάντεις ἐκαθέζοντο.*

2) l. l. p. 118.

3) cf. Polem. ap. Athen. VI p. 235 D. *ἐκ τούτου δῆλόν ἐστιν ὅτι ἐν ᾧ τὰς ἀπαρχὰς ἐτίθεσαν τοῦ ἱεροῦ σίτου, τοῦτο παρασίτειον προσηγορεύετο.*

bonum sensum fundunt: „et sextarium in granaria deferunto Apollini Acharnensium parasiti ex delectu frumenti“ et quamquam ipse supra dixi verba illa: *θύειν* — *παρασίτους* ex eadem lege regia ex eadem potius parte legis sumta esse, huc tamen referenda non videntur, quia non est verisimile altero loco vocabulum *θύειν*, altero voces: *ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν* esse omissas. Cohaerent ergo ni fallor verba a *τὸν δ' ἑκτέα* — *παρασίτους*, et *ἀρχεῖα* illa non solum Acharnis [1]) erant, sed apud alia quoque Apollinis templa minoris auctoritatis, quae ad eandem sodalitatem sacram pertinebant vel quae extra hanc sodalitatem Acharnensem jacerent, quibuscum hac sacri frumenti missione commercium quoddam institutum esset. Addatur vix necesse est, Acharnensium parasitos non ex hoc solo pago sed ex omnibus hujus foederis pagis esse electos, ab Acharnis vero nomen traxisse, ubi per annum scilicet commorarentur. Praeter parasitos ceteri quoque magistratus sacri Acharnis habitabant, inter quos erant *ἄρχοντες*, de quibus dixi et *ταμίαι* [2]), qui jubentur nostra lege ad templum ceteraque aedificia sacra exornanda pensitare, quanti qui exornandis his rebus erant praefecti, locavissent. Fortasse hi magistratus omnes una etiam epulabantur, sed differebant hae epulae ab epulis in Herculis honorem instructis. Herculis enim parasiti ipsius dei erant convivae [3]), parasiti autem Acharnenses Apollinis non nominantur. Si vero quis comparet Critonis comici locum [4]), quo Deli insulae incolae parasiti Apollinis nominantur, monendum est, Critonem vocabulum *παράσιτος* eo sensu usurpavisse, quo apud comicos dicuntur parasiti, de sacro ministerio parasitorum omnino

---

[1]) *ἀρχεῖον* autem, Acharnis ipsis situm, solum *παρασίτειον* quoque nominabatur.

[2]) cf. Allgem. Lit. Ztg. 1838. Nov. p. 354. v. 10. Injuria Wachsmuthius parasitos antiquis temporibus praefectos fuisse aerario putat et cum Colagretis parasitos confert (cf. Hell. Alterthskde ed. I. tom. I. p. 435. II p. 73. 107. — de Colagretis cf. Ruhnken ad Tim. 171 et praecipue Böckh Staatshaushalt I p. 237 (186).

[3]) cf. Diod. Sinop. l. l.

[4]) Athen. IV p. 173 C.

non cogitavisse. Dicere enim vult, Delum propter Apollinis templum spectatissimum tantas divitias confluxisse undique atque confluere, ut omnibus rebus Delii abundarent, qui quasi in ipsa coena dei epularentur. Quare ego sic judicaverim: Parasiti Herculis primi omnium instituebantur et a *παρασιτεῖν* (sc. *τῷ Ἡρακλεῖ*) nomen acceperunt. Transiit postea nomen ad eos, qui in universum loco omnium quibus certa sacra erant sacrificanda, sacerdotes in sacris faciundis adjuvarent, vel alia societatis cujusdam sacrae officia sacra perficerent. Itaque, quos sacros nominavimus parasitos, non omnes sunt generis ejusdem. Ac ne illud quidem sacri frumenti deligendi officium omnibus parasitis commune erat. Nam quae Pollux [1]) et Photius [2]) de parasitis omnibus tradunt, ex eisdem legis regiae fragmentis desumta esse videntur, quae modo tractavimus, non sunt igitur majoris auctoritatis, quam ipsa haec fragmenta, quae de diebus quibusdam sollemnibus Acharnis celebrari solitis intelligenda esse, neque vero ad parasitos in universum pertinere demonstravimus.

Mirum videri potest, quod, cum archon rex in ipsa urbe sedem haberet, quae ei imperarentur hac lege ad urbem non pertinerent. Sed archon rex totius Atticae terrae sacra observabat, hac in re igitur offendendum non est. Praeterea quae prima attuli verba: *ἐπιμελεῖσθαι .... γεγραμμένα* non minus ad agros quam ad urbem pertinent, neque monendum est pagos nusquam ita nominari, ut urbi sint oppositi. Constat enim, ab urbe ipsa pagorum divisionem ita exiisse, ut urbis singulae partes eis pagis essent attributae, qui proxime circa urbem jacerent [3]). Sed aliunde quoque testimonia possunt afferri, legem regiam non solum de ipsius urbis diebus

---

1) VI, 34 .... *ὁ ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενος· καὶ ἀρχεῖόν τι Ἀθήνησι παρασίτιον καλούμενον, ὡς ἐν τῷ νόμῳ τοῦ βασιλέως ἔστιν εὑρεῖν.*

2) ed. Porson p. 389. *παράσιτοι· οἱ ἐπὶ τὴν τοῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενοι· κεῖται ἡ λέξις ἐν τῷ βασιλέως νόμῳ.*

3) cf. Sauppe de demis urbanis p. 13.

festis sed etiam de singulorum pagorum sacris celebrandis nonnulla praescripsisse. Priusquam vero de hac re disputem, ut de Apollinis cultu quae parasitos tangant, antea proferam, dicendum mihi est, quomodo de cyrbium loco judicem, quem ut plerosque alios de parasitis ex Polemone hausimus. Sunt autem Polemonis verba [1]) haec: *ἐν δὲ τοῖς κύρβεσι τοῖς* [2]) *περὶ τῶν Δηλιαστῶν οὕτως γέγραπται· καὶ τὼ κήρυκε* [3]) *ἐκ τοῦ γένους τῶν κηρύκων τοῦ τῆς μυστηριώτιδος. τούτους δὲ παρασιτεῖν ἐν τῷ Δηλίῳ ἐνιαυτόν.* „Duo praecones de gente Eleusiniacorum [4]) per annum in Delio sunto parasiti.“ Sic vertenda sunt haec verba, sed difficilius est de singulis recte judicare. Constat autem, Athenienses antiquitus quotannis legatos misisse Delum, qui Deliastae nominarentur [5]). Ubi tempus sacrae theoriae venit in Delio, quod Marathone erat [6]),

---

[1]) Athen. VI p. 234 F.

[2]) Non dubitaverim, quin Polemo hoc loco *τοῖς* scripserit, quod omittere debuit, nam complures de solis Deliastis exstitisse *κύρβεις* verisimile non est. Ceterum de vocabulo *κύρβεις* cf. excurs.

[3]) cf. de praeconibus Meier de gentil. Att. p. 43. Sed non intelligo cur suum cuique templo fuisse genus praeconum putet, cum aperte ex hac lege intelligatur ad Delium Apollinis peculiarem gentem non pertinuisse. Immo ad honorem hujus dei ex Eleusiniacorum gente (cf. ad not. 4) eligebantur duo. Quare Pollux de praeconibus in universum recte judicasse videtur, cum dicat: *κῆρυξ ὁ μέν τις τῶν μυστικῶν ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ἑρμοῦ καὶ Πανδρόσου τῆς Κέκροπος· ὁ δὲ περὶ τοὺς ἀγῶνας· οἱ δὲ περὶ τὰς πομπὰς ἐκ τοῦ Εὐνειδῶν γένους· οἱ δὲ κατ' ἀγορὰν τὰ ὤνια προκηρύττοντες.* Errat quidem quod unum modo *τῶν μυστικῶν κήρυκα* (cf. Xenoph. Hellen. II, 4, 20) scilicet *ἱεροκήρυκα* (cf. Demosth. Neaer. p. 1371) nominat, eos non enumeravit, qui ex eadem gente oriundi esse debebant. De quibus Meier l. l.

[4]) Hoc enim verba *ἐκ τοῦ γένους τοῦ τῆς μυστηριώτιδος* significant. cf. Lobeck Aglaoph. p. 213. *σπονδαὶ μυστηριωτίδες* s. *μυστικαί.* Quodnam vocabulum ad genitivum supplendum sit nescimus, nam Casaub. ap. Petit. legg. Att. p. 165 non recte de vocabulis *ἐφημερίας* vel *μέριδος* cogitavisse videtur.

[5]) Meier de gentil. Att. p. 51.

[6]) Athenis ipsis Delium non erat. cf. Mommsen Heortol. p. 50. 51. — Le Beau, Histoire de l'acad. des inscript. tome XXXI p. 54 om-

sacrificabatur [1]), praeterea via sacra per Marathonem duxit, ita ut pateat, summae auctoritatis fuisse templum illud Marathonium. Quare non mirum est, quod Solonis lex constituit, ut duo praecones, quippe quibus sacra essent indicanda, perpetuo in Delio commorarentur et epularentur cum illius templi sacerdotibus. Nam de ipso munere parasitorum cogitari hic nequit, neque hi duo praecones parasiti nominantur. Erant soli praecones, qui muneribus praeconiis in Delio Marathonio fungi jussi erant. Quod fieri non opus erat, si Athenis Apollinis Delii templum exstitisset. Parasiti igitur in hac lege Solonis non nominantur, sed de ea dicendum mihi erat, ne quid omnino praetermisisse viderer.

His peractis iterum ad legis regiae fragmentum me converto idque ultimum. Hoc quoque Polemo nobis tradidit, sed ut priora fragmenta ex Cratete desumsit hoc quoque non ipse vidit, sed ex libro Themisonis cujusdam, *Παλληνίς* nominato, exscripsit. Dicit enim Polemo [2]): *καὶ Θεμίσων ἐν Παλληνίδι· ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλέα τὸν ἀεὶ βασιλεύοντα καὶ τοὺς παρασίτους οὓς ἂν ἐκ τῶν δήμων προαιρῶνται, καὶ τοὺς γέροντας καὶ τὰς γυναῖκας τὰς πρωτοπόσεις.* Neque Themiso neque liber ejus alio quodam loco nominantur, sed lectio omnino apud Athenaeum constat, ita ut dubitandum non sit, quin scriptor liberque sic nominati exstiterint. Tamen nonnulis vox *Παλληνίς* valde suspiciosa esse videbatur et permultis conjecturis locus ipse temptatus est. A nomine pagi Pallenae [3]) adjectiva forma formata est *Παλληνίς*. Quod vocabulum si solum adhibetur significat Minervam Pallenensem, quae in ipso pago templum [4]) habebat notissimum atque

---

nino falso vertit: qu'il y ait pendant l'année dans le temple *de Delos* (?) deux hérauts de la famille des hérauts des mystères.

1) cf. Philoch. fragm. ap. schol. Oed. Col. (1047) 1102. — Siebelis. Philoch. fragm. p. 84. 85.

2) Athen. VI p. 235 A.

3) cf. Ross. Demen p. 53. 90.

4) cf. Herod. I, 62. *ἐς τὠυτὸ συνιόντες ἀπικνέονται ἐπὶ Παλληνίδος Ἀθηναίης ἱρόν.* — Polyaen. strategem. I, 21, 1. *Πεισίστρατος ἀπ'*

celeberrimum. Sed quod Schweighaeuserus [1]) dicit, vocabulum *Παλληνίς* de templo ipso posse usurpari ex eis locis, quos affert (Polyaen. I, 2, 4. Eurip. Heracl. 1031), ut Prellerus recte dicit [2]), nunquam probabit. Quam ob rem, ut Petersenii [3]) miram non modo sed ineptam conjecturam: *ἐν Παλλαδίῳ* omnino praeteream, aut *Παλληνίς* pro vero libri titulo habenda est (ut significet vel „de Minerva Pallenensi“ vel secundum analogiam vocum *Ἀτθίς Ἰλιάς* „historia pagi Pallenae“) aut Prellerum sequamur necesse est, qui putat [4]), titulum decurtatum esse ex pleniore formula *ἐν τῷ περὶ τῆς Παλληνίδος*, cujus rei satis apta affert exempla. Utut res se habet, negari non potest, Themisonem in illo libro de Pallena pago et de Minerva Pallenensi scripsisse. Quare ne ea quidem conjectura temere facta esse videtur, legem illam a Themisone descriptam in templo Minervae Pallenensis suum locum habuisse. Partem vero esse hanc legem legis regiae ex Pollucis verbis [5]): *ἡ δὲ ἐκ παρθενίας τινὶ γεγαμημένη πρωτόποσις ἐκαλεῖτο, γέγραπται δὲ τοὔνομα (ἐν) τῷ τοῦ βασιλέως νόμῳ* colligi potest. Tota igitur, ni fallor, lex regia omnia de singulorum pagorum sacris praescripta continebat et Athenis in stoa regia asservabatur, totius vero legis vel singularum partium exemplaria in singulis asservabantur templis, ad quae singula legis praescripta pertinerent [6]). Jam ad argumentum legis progrediamur. Quod Schweighaeuserus conjecit *ὡς ἄν* pro codicum *οὓς ἄν* probari nequit, cum quod exspectaremus *τῶν παρασίτων*, tum quod mera repetitio ori-

---

Εὐβοίας ἐστράτευσεν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν ἐπὶ Παλληνίδος. — Lycophron. Alex. 1261. *δείμας δὲ σηκὸν Μυνδίᾳ Παλληνίδι.* — Eurip. Heracl. 849. — Hesych. s. v. *παρθένου Παλληνίδος* [*ἱέρεια*] *Ἀθηνᾶς· ἔστι γὰρ ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἐν Παλληνίδι.*

1) animadv. ad Athen. III p. 358.

2) l. l. p. 117.

3) Arch. Ztg. l. l.

4) l. l. p. 118.

5) III, 39.

6) cf. Meier Schoemann. Att. Proc. p. 171.

retur verborum, quae in alio legis loco [1]) leguntur, quodque verisimile non est regem sacrificulum creationem parasitorum curare in eadem lege bis jussum esse. Quare codicum verba servanda sunt, licet per se non sint absoluta: nam deest omnino objectum ad vocabulum *ἐπιμελεῖσθαι* additum. Nescimus igitur quidnam parasiti, rex, senes, matronae semel nuptae una perficere jussi sint. Nonnulli, cum saepe nominentur senes in pompa Panathenaeorum *θαλλοφοροῦντες* [2]) suspicati sunt, hanc quoque legem de Panathenaeis esse latam. Invenimus enim apud schol. Arist. Vesp. 544 haec: *ὁ μέντοι Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ οὐκ οἶδα ἐξ ὅτου ποτὲ καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς Παναθηναίοις ὑπείληφε θαλλοφορεῖν πολλῶν ἀλλήλοις ὁμολογούντων περὶ τοῦ μόνους τοὺς πρεσβύτας θαλλοφορεῖν.* Ei igitur non recte judicant, qui cum Dicaearcho de Panathenaeis cogitant, inter quos est Petitus in animadversionibus, quas huic loco subjecit. Neque eae feminae ad sacra quaedam electae, quae *γεραῖραι* [3]) vel *γεραραί* [4]) vocabantur huic legi conveniunt, cum ad Dionysium pertineant. Itaque putaverim in sollemnibus, quae Minervae Pallenensi celebrabantur regi una cum parasitis, senibus, matronis semel nuptis sacra quaedam facienda fuisse. Sed parasitos curo Pallenensium, de quibus apud Polemonem [5]) fortasse ex eodem Themisone haec quoque afferuntur: *ἐν δὲ Παλληνίδος τοῖς ἀναθήμασι ἐπιγέγραπται τάδε· ἄρχοντες καὶ παράσιτοι ἀνέθεσαν οἱ ἐπὶ Πυθοδώρου* [6]) *ἄρχοντος στεφανωθέντες χρυσῷ στεφάνῳ ἐπὶ Διφίλης ἱερείας· παράσιτοι Ἐπίλυκος [Λυκο]στράτου Γαργήττιος, Περικλῆς Περικλείτου Πιτθεύς, Χαρῖνος*

---

[1]) Athen. VI p. 235 C.

[2]) cf. Xenoph. conviv. IV, 17. *θαλλοφόρους γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται.* — Philochor. II; Cratinus *ἐν Δηλίασι;* Pherecrat. *ἐν Ἐπιλήσμοσι.* cf. schol. Arist. vesp. 544. — Mommsen Heortol. 168.

[3]) cf. Etymol. M. 231. 32.

[4]) cf. Hesych. s. v.

[5]) Athen. VI.

[6]) Ol. LXXXVII, 1 = 432 vel XCIV, 1 = 404.

Δημοχάρους Γαργήττιος [1]). Quamquam praecipue ex donatorum nominibus, quippe quae non omnia enumerata sint, aperte intelligimus, hanc inscriptionem integram non esse servatam, permulta tamen ea docemur. Si enim comparamus, quae de Acharnensium parasitis disputavimus, Pallenae quoque templum erat scilicet Minervae (ut Acharnis Apollinis) ad quod vicini pagi pertinebant, (nam Gargettus pagus [2]) certo, Piththus [3]), cum situs ejus notus non sit, verisimiliter Pallenae erat vicinus) ita ut sacrum foedus ad sacra communiter celebranda inirent. Huic societati praeerat archon, electi erant parasiti, qui cum archonte sacra curarent. Quod vero in hac inscriptione de compluribus sermo est archontibus — quamvis nomina eorum non offerantur, ut suspicari fortasse possimus, pluralis formam recte non habere — offensioni esse non potest, nam archontis nomen tam generale est ut praeter primum cujusque societatis archontem, aerario quoque praefecti aliique magistratus hoc nomine vocari possint. Haud dubie plures parasiti erant, quam hic nominantur tres vel ob eam causam, quia Gargettii duo inveniantur, Pallenensis nullus. Sed cum Themiso locos modo colligere vellet, quibus vox *παράσιτος* vetustiore sensu usurpata esset, inscriptionem non descripsit totam. Eâdem de causa archontum quoque nomina, quae in titulo ipso non deerant, omisit. Mirabantur nonnulli interpretes, quod ad tempus anathematis definiendum non modo archon eponymus Atheniensis, sacerdotis quoque

---

1) Dedi totum hunc locum non secundum codicum lectionem, sed talem, qualis a compluribus viris doctis, qui alius post alium eum tractaverunt denique recte restitutus esse videtur. cf. Meineke Athen. IV p. 100. Quod scripsi *ἐν δὲ Παλληνίδος* Meinekium non secutus sum, quod vocabulum *Παλληνίς* de templo vel sacro quodam loco intelligi posse non credo, quamquam, quod Meinekius non adnotavit, hic usus ab Hesychio v. *παρθένου Παλληνίδος· (ἔστι γὰρ ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἐν Παλληνίδι)* comprobari videtur. Sed Hesychii verba corrupta esse persuasum habeo. — Praeterea Meinekius adjectis hamulis indicavit, verba inde a voce *παράσιτοι* usque ad finem alterius esse inscripsionis.

2) cf. Ross Demen p. 35.

3) id. p. 91.

feminae additum sit. Qua in re non video cur offendant, cum alia exstent monumenta, in quibus pari modo nomen sacerdotis additum inveniamus. cf. C. J. G. n. 386: *ἐπὶ ἱερείας Φλαουΐας Λαοδαμίας τῆς Κλείτου Φλυέως θυγατρὸς* [1]). Ceterum haec ipsa res eo facilius potest explicari, quia non in ipsa urbe sed in pago extra urbem sito hoc monumentum vel anathema collocatum fuerit. Ipsis enim Athenis satis erat, archontis eponymi nomine tempus definire, in pago autem, ubi archontum eponymorum tabulae publice fortasse collocatae non essent, sacerdotum nomina, in quo pago esset nobilius dei cujusdam templum, in publicis tabulis conscribebantur, saepissime, praesertim si de rebus sacris scriptus esset titulus, sacerdotum nomina addita esse putaverim. Anathema autem, de quo dicimus, dedicatum erat ab archontibus et parasitis ad Minervae Pallenensis cultum institutis, qui Pythodoro archonte muneribus optime [2]) functi publice corona aurea erant coronati, qua re summo jure additum est nomen sacerdotis, quae in ipso templo Minervae cultum ministraret.

Sed haec hactenus. Non negaverim praeter has Pallenenses et Acharnenses societates sacras praeterque ea foedera, quae ad Herculis cultum rite celebrandum singulorum pagorum incolae inierunt, alias etiam exstitisse sacras sodalitates, quae archontem vel archontes et parasitos sibi quaeque eligerent [3]), cum vero de hac re traditum nil sit lucrum profecto non facimus, si conjecturas cumulamus. —

Restat una parasitorum sacrorum commemoratio in lege, quam Polemo in Anaceo invenit [4]), cujus verba sunt haec: *τοῖν δὲ βοοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν* [5]) *τοῖν ἐξαιρουμένοιν τὸ μὲν τρίτον μέρος εἰς τὸν ἀγῶνα, τὰ δὲ δύο μέρη τὸ μὲν ἕτερον τῷ ἱερεῖ, τὸ δὲ τοῖς παρασίτοις.* Erat Anaceum Dioscu-

1) cf. Mommsen Heortol. 237.

2) cf. Curtius inscr. XII. inscr. 1. — Rangabé antiq. hell. II. 794.

3) Errat igitur Prellerus l. l. p. 121, qui parasitos Acharnenses et Pallenenses ad unum collegium pertinuisse putat.

4) Athen. VI p. 235 B.

5) cf. Preller l. l. p. 121.

rorum templum, qui Ἄνακες apud Athenienses nominabantur [1]) et quibus dies festi una cum ludis celebrabantur [2]). De situ hujus templi ipse Petersenius verum vidit [3]), qui de horum parasitorum conditione omnino non recte judicavit, cum ex vicinitate prytanei concludat parasitos publicarum in prytaneo epularum fuisse ministros simulque convivas [4]). Quamquam iterum iterumque Petersenii opiniones rejeci, tamen hoc loco nonnulla denuo tractem necesse est. Ex inscriptione enim Pallenensi, ubi archontes una cum parasitis nominantur concludit, archontes esse novem viros illos, qui rei publicae Atheniensium praeessent; adjunctos eis esse parasitos, ut sacris totius rei publicae (Staatsreligion) operam darent. Cum vero lectio Παλληνίς huic opinioni omnino non respondeat, pro ἐν Παλληνίδι scripsit ἐν Παλλαδίῳ. Porro parasitium propter vocabulum Ἀθήνῃσιν in ipsa urbe situm fuisse et ne

---

1) Cic. de nat. deor. III, 21, 53. Διόσκουροι etiam apud Graecos multis modis nominantur: primi tres, qui nominantur Anaces (sic!) Athenis ex rege Jove antiquissimo et Proserpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysus; secundi Jove tertio nati et Leda: Castor et Pollux; tertii dicuntur a nonnullis Alco et Melampus et Tmolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.

2) cf. Preller griech. Mythol. ed. II. t. II. p. 104.

3) Archaeol. Ztg. l. l. cf. Polyaen. strateg. I, 21, 1.

4) Omnino omisit Petersenius sacrum fuisse parasitorum ministerium, neque Athenis unquam tales existebant parasiti, quales Aristoteles in libro de Methonensium re publica (Athen. VI p. 235 E.) commemorat his verbis: παράσιτοι τοῖς ἄρχουσι δύο καθ' ἕκαστον ἦσαν (sc. Methonae), τοῖς δὲ πολεμάρχοις εἷς. τεταγμένα δ' ἐλάμβανον παρ' ἄλλων τέ τινων καὶ τῶν ἁλιέων ὄψον. Conatus quidem est Grashofius (Jahn's Jahrb. X, 2, p. 158) in verbis, quae antecedunt pro Μεθωναίων scribere Ἀθηναίων, cui Prellerus miror quod assentitur. Sed cum credi non potest, pro notissimo vocabulo Ἀθηναίων falso in codd. scriptum esse Μεθωναίων, tum Athenis non erant complures polemarchi. Ceterum de hoc parasitorum genere accuratius nil scimus, neque Clearchus Solensis certiores nos facit, qui dicit ἐν τῷ πρώτῳ τῶν βίων: (Athen. VI, p. 234 E) ἔτι δὲ παράσιτον νῦν μὲν τὸν ἕτοιμον, τότε δὲ τὸν εἰς τὸ συμβιοῦν κατειλεγμένον. ἐν γοῦν τοῖς παλαιοῖς νόμοις αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων ἔτι δὲ καὶ τήμερον ταῖς ἐντιμοτάταις ἀρχαῖς συγκαταλέγουσι παρασίτους. De his igitur quid rei sit videant doctiores.

nimis longe abesset a buculeo (*βουκολεῖον* et *βουκολία* non discernit!) vicinum fuisse prytaneo putat. Denique Dioscuros non modo in Anaceo, sed etiam in prytaneo celebratos esse dicit. Nimia profecto errorum cumulatio! Ostendi enim archontes illius inscriptionis Pallenensis non fuisse, qui vulgo dicebantur archontes Atheniensium. Nam hi universi sacrorum curam habebant nullam, neque cum parasitis ullo modo conjuncti erant. Singuli autem cultus a rege observabantur. Una prae ceteris religio publica (Staatsreligion) non exsistebat. Tum me probavisse putaverim vocem *Ἀθήνησι* non ubique de sola urbe Athenarum intelligendam esse, isto vero loco, quo de mentione Minervae Pallenensis non possit necessario totam terram Atticam significare. Recte ni fallor dixi voces *βουκολία* et *βουκολεῖον* de una eademque re non usurpari. Quam ob rem haec quoque causa cur *παρασίτειον* in ipsa urbe situm fuisse credere cogamur, nil valet. At restat, quod ultimo loco Petersenius proponit, quodque ad Anaceum pertinet, et videtur profecto locus quem pro sua sententia affert ejusmodi aliquid docere. Apud Athenaeum [1]) enim legimus haec: *ὁ δὲ τοὺς εἰς Χιωνίδην ἀναφερομένους Πτωχοὺς ποιήσας τοὺς Ἀθηναίους φησίν, ὅταν τοῖς Διοσκούροις ἐν Πρυτανείῳ ἄριστον προτιθῶνται, ἐπὶ τῶν τραπεζῶν τιθέναι τυρὸν καὶ φυστήν, δρυπετεῖς τ' ἐλάας καὶ πράσα ὑπόμνησιν ποιουμένους τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς.* De vocabulo *πρυτανείῳ* conjectura mutando vix cogitaverim, sed cur Dioscuri cum prytaneo conjuncti fuerint, in prytaneo, Vestae sede, culti sint causam video nullam. Quid igitur faciendum? Scimus Dioscuros templum habuisse Anaceum, porro scimus Anaceum a prytaneo haud longe abfuisse; nominantur in Anaceo parasiti; nonne verisimile est, prandia ista in ipso Anaceo instructa esse Dioscuris mentionemque prytanei pro Anaceo errori scriptoris deberi? Quoquo modo res se habet, Dioscuris ipsis certissimum est, constitutis temporibus, fortasse cotidie prandia esse parata, parasitos in templo eorum sacra quaedam administravisse. Quare mihi quidem persuasum est, cultum

---

[1]) IV, p. 137 C.

Dioscurorum Herculis cultui fuisse simillimum, cui, ut antea ostendi, et ipsi epulae instruerentur, quarum parasiti erant participes. Tum parasiti in Anaceo quoque vel cotidie vel certis temporibus epulabantur et sacrificia cum sacerdotibus in Anaceorum sollemnibus faciebant. Hoc enim ob eam causam putaverim, quia lege supra allata constituitur, ut boum pro victis scilicet mactatorum tertia pars tribuatur parasitis, et quamquam de numero eorum nil traditum est, ex hac ipsa re consequi videtur, perpaucos fuisse, cum tantandem acciperent partem, quantam sacerdos et qui ludis victor excesserit. Sed fontibus tam exigue manantibus de his Dioscurorum parasitis plura conjicere periculosissimum est, itaque hoc solum contenderim conditionem eorum proxime accedere ad eorum, qui in Heracleis parasitorum officio fungebantur. Addi potest, hos quoque deos vel heroës inter antiquissima Atheniensium numina esse numerandos, et hanc ob causam hos quoque parasitos primo ac proprio sensu scilicet convivarum esse nominatos. Postea enim, de qua re supra dixi, nominis significatio angustos fines quasi transgressa est ita, ut parasiti nominarentur certum quoddam ministrorum sacrorum genus, ni fallor, eorum qui pro toto populo vel potius pro omnibus societatis cujusdam sacrae sodalibus sacra quaedam cum sacerdotibus facerent. Sed alterius generis erant parasiti *ἐν Κυνασάργει* omnesque qui ad Herculis cultum celebrandum electi erant, praeterea parasiti in Anaceo instituti, alterius Acharnenses et Pallenenses et si qui alii creabantur.

Recepit quodammodo primam significationem, cum a poëtis comoediae recentioris usurparetur de eis, qui adulando et assentando ab divitibus hominibus et luxuriosis epulas sibi eblandirentur. Hi *parasiti* nominabantur ita tamen, ut invidiosi atque odiosi aliquid huic nomini adhaereret. Atque primus Alexis [1]) dicitur parasiti personam in scenam produxisse, quod ita intelligendum est, ut Alexis primus eam personam comoediae, quae ante eum vocabatur *κόλαξ* vel *δαιταλεύς* nominabatur, hoc uno nomine *παράσιτος* vocaret. Mi-

---

1) c. Ol. CXI – 334 a. Ch.

rum vero non est, quod nomen antea sacrum postea tam contemptum factum sit, nam parasiti ipsi praecipue Herculis, si recte judicavi de LX viris in Cynosarge, muneris sanctitatem magis magisque obliti esse, epulas potius quam sacrificia curasse videntur. Exolescebant severae veteres leges, denique non jam parasiti creabantur. Comoediae autem parasiti cum Athenis Romam migrarent, in innumeris fere et Graecis et Romanis fabulis inveniuntur memoriamque priorum parasitorum ita deleverunt, ut quae pauca jam tractavimus fragmenta veritatis speciem persaepe, veritatem ipsam rarissime fortasse nobis praebeant.

Excursus.

Κίρβεις et *ἄξονες*.

Quam Rauchensteinius in edit. orat. Lys. p. 138 laudat commentationem Hüllemanni (in misc. philol. et paedag. nov. ser. fasc. I p. 57), ea, quantam dedi operam, praesto mihi non erat, neque scio, num R. suam de *κύρβ.* et *ἄξ.* opinionem ex ea hauserit. Certe Rauchensteinius causas sui de hac re judicii affert nullas, quare partim causis fulcire partim alia mutare, alia addere in animo mihi est. Dicit vero R. l. l. Solonis leges *βουστροφηδόν* [1]) scriptas esse in prismatis, tabellis ligneis constructis, quae initio *κύρβεις* postea demum propter cardines, in quibus verterentur, *ἄξονες* nominatae essent. Plane aliter judicat Prellerus (Polem. fragm. p. 87—91), qui innumeris fere grammaticorum aliorumque locis allatis, mihi quidem longe a vero discessisse videtur, quamquam libenter confiteor, illius opinionem permultis veterum scriptorum locis posse probari. Sed haud dubie inprimis respiciendi sunt auctores ei, qui ipsi *κύρβεις* illos (plurimi quidem in genere masculino hujus vocabuli consentiunt) suis oculis viderunt, e quibus nomino eos, quorum fragmenta ad nos pervenerunt: Aristotelem, Cratinum [2]), Pausaniam, Polemonem, Plutarchum. Liceat igitur mihi ex his argumenta meae sententiae desumere. Ac primum quidem Neumann Arist.

---

[1]) Euphorion apud Didymum cf. Harpocrat. s. v. *ὁ κάτωθεν νόμος* ed. Dindorf. p. 220.

[2]) de Cratino minore cogito recentioris comoediae poëta, quum non verisimile sit, jam Cratini majoris tempore (cf. fragm. infra allatum) *κύρβεις* tam fuisse destructos, quorum particulae, ut comicus dicit, ad hordeum frigendum possent cremari.

fragm. polit. p. 84 hoc affert Aristotelis fragmentum: *Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησίν* [1]· *ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τὰς κύρβεις, ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ βασιλείᾳ.* Porro apud Plutarchum vit. Sol. 25 haecce leguntur verba: *ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκε· καὶ κατεγράφησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας ἐν πλαισίοις* (fort. *σὺν πλαισίοις*) *περιέχουσι στρεφομένους· ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο* [2]· *καὶ προσηγορεύθησαν, ὥς Ἀριστοτέλης φησὶ, κύρβεις. Καὶ Κρατῖνος ὁ κωμικὸς εἴρηκέ που·*

πρὸς τοῦ Σόλωνος καὶ Δράκοντος οἷσι νῦν
φρύγουσι ἤδη τὰς κάχρυς τοῖς κύρβεσιν.

Quem locum Plutarcheum exscripsi totum, quia Plutarchi, Cratini, Aristotelis ibi continentur testimonia. Restat ut Polemonis verba afferam (nam Pausan. I, 18, 3 hoc solum dicit, leges Solonis in prytaneo esse asservatas [3]), quae inveniuntur apud Harpocr. v. *ἄξονι* (ed. Dind. I, p. 41)· *οἱ Σόλωνος νόμοι ἐν ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους „ὡς ἐν ἄξονι εἴρηται“* (Dem. p. 629, 21 *ὡς ἐν ἄξονι ἀγορεύει*). — *ἦσαν δὲ, ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, τετράγονοι τὸ σχῆμα· διασώζονται δὲ ἐν τῷ πρυτανείῳ, γεγραμμένοι κατὰ πάντα τὰ μέρη· ποιοῦσι δ' ἐνίοτε φαντασίαν τρίγωνον, ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας.* Si addimus denique Aristophanis locum (Etym. M. 547. s. v. *κύρβεις*. Suid. s. v. Cramer anecd. Graec. Oxon. I, p. 221. II, p. 455) *Ἀριστοφάνης δὲ ὁμοίας* (sc. *αἱ κύρβεις*) *εἶναι τοῖς ἄξοσι, πλὴν ὅτι οἱ μὲν ἄξονες νόμους αἱ δὲ κύρβεις οὐσίας ἔχουσι· ἀμφοτέρων δὲ τὸ κατασκεύασμα τοιοῦτον· πλιν-*

---

1) Schol. Arist. av. 1354: *κατὰ δὲ ἐνίους ἄξονες τρίγωνοι ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῶν πόλεων νόμοι γεγραμμένοι καὶ αἱ δημοσίαι ἱεροποιΐαι· καθάπερ καὶ Ἀριστολέλης ἐν τῇ τῶν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶ καὶ Ἀπολλόδωρος* aperte Aristotelem non intellexit, quippe qui de differentia *κύρβεων* et *ἀξόνων* nil dixerit.

2) Dubitari fortasse potest, utrum haec verba sint Plutarchi an fontis.

3) cf. Anaxim. ap. Didym. Harpocrat. s. v. *ὁ κάτωθεν νόμος* ed. Dind. p. 220.

θίον μέγα ἀνδρόμηκες, ἡρμοσμένα ἔχον ξύλα τετράγωνα τὰς πλευρὰς πλατείας ἔχοντα καὶ γραμμάτων πλήρεις· ἑκατέρωθεν δὲ κνώδακας, ὥστε κινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι ὑπὸ τῶν ἀναγιγνωσκόντων, qui caute adhibendus est, quippe in quo verba *πλὴν* — *ἔχουσι* propter vocabulum *οὐσία* [1]) recte non habeant, illarum columnarum figura atque argumentum omnino constat. Neque est cur auctoritatem horum testium ullo modo addubitemus. Primum igitur *discrimen inter κύρβεις et ἄξονας exstitit nullum* (cf. Aristot. ap. Plut. l. l. et Plutarch. ipsum). At exstant permulti loci, ubi aperte de diversitate *κύρβεων* et *ἀξόνων* sermo sit, ita, ut *ἄξονες* quadranguli, *κύρβεις* vero trianguli esse, hi jus publicum atque sacrum, illi jus privatum continere dicantur (cf. Schol. Ar. av. 1354. Ammon. *περὶ διαφόρων λέξεων* p. 20 ed. Valckenaer. Eratosth. ap. Schol. Apoll. IV, 280 et ap. Etym. M. Suid. Zenobius IV, 77 paroemiogr. ed. Leutsch. I p. 105 cet.). Inprimis autem Polemoni, accuratissimo antiquitatum perquisitori (*Στηλοκόπας*), fides habenda est, qui in libello, quem contra Eratosthenem scripsit, contendit axes (*ἄξονας*), quos aliis locis *κύρβεις* nominat, aliquo situ positi (*ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας*) speciem praebere, quasi sint trianguli. Voluit igitur refutare errorem Eratosthenis aliorumque, qui quosdam axes, quos *κύρβεις* dicerent, triangulos esse putarent, *cum omnes essent quadranguli*. Neque hac in re offendendum est, quod de variis argumentis *ἀξόνων* et *κύρβεων* nobis tradatur. Nam ubi semel opinio illa increbruit, esse inter *ἄξονας* et *κύρβεις* discrimen, „*οἱ ἀκριβέστεροι*“ statim de argumento perquirebant, cumque e. g. apud Polemonem (Athen. VI p. 234 E) legem de sacris quandam invenirent in *κύρβεσι* scriptam, illud neglexerunt, Polemonem omnino promiscue utrumque vocabulum usurpare, et quaecunque leges ad res sacras pertinerent, eas in *κύρβεσι* scriptas fuisse constituerunt [2]). Sed pro mea

---

[1]) Debere videtur Aristoph. hoc vocabulum Asclepiadi (cf. Etym. M. v. *κύρβ.*), qui *κύρβεις* nominatos esse *ἀπὸ κύρβεως τοῦ τὰς οὐσίας ὁρίσαντος*, falso putaret.

[2]) cf. Photius s. v. - Eratosth. ll. ll.

sententia facit quoque Seleucus *ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν Σόλωνος ἀξόνων*, quippe qui in hoc libro de *sacris* rebus dicat (cf. Phot. et. Suid. s. v. *ὀργεῶνας*). Porro constat omnino *fuisse κύρβεις v. ἄξονας ligneos* [1]. Nam, qui ex aere (schol. Arist. av. 1354. Tzetz. chil. XII, 406 ed. Kiessl. p. 452 et Theopompus s. Theophrast. l. l. ap. Tzetz.) factos esse putarent, falsum vocis *κύρβεις* veriloquium secuti (cf. Tzetzes l. l. *εὗρον δ' αὐτὰς Κορύβαντες, ὅθεν καλοῦνται κύρβεις*) hanc sententiam proposuerunt, quique lapideos esse contenderent, ut Prellerus recte monet [2], Apollodorum negligenter exscripserunt. Ac summum valere mihi videtur ad sententiam meam probandam locus Cratini comici supra allatus. Sed alia in re Prellerus verum non vidit qui diceret (p. 89): „videntur utrique fuisse columellae pyramidatae", nam in descriptione illa accuratissima, quam supra laudavi [3], nihil inest, ex quo concludere possimus, pyramidis instar in acumen abiisse *ἄξονας*, neque causa inveniri potest, cur forma pyramidata aptior esse potuerit. Immo ineptissima. In universum autem descriptio ea tam clara atque perspicua est, ut omnino eam accuratius tractare supervacaneum sit. Restat igitur ut de veriloquio vocabuli *κύρβεις* pauca addam, nam quid *ἄξων* significet nemo non intelligit. Nimis profecto credulum Westermannus [4] se praebet, qui secundum schol. Ar. av. 1354. nub. 447. schol. Apollon. Rh. IV, 280. *ἀπὸ τοῦ κεκορυφῶσθαι* eos nominatos esse putet, nam haec origo vocabuli aeque falsa atque aliae (*ἀπὸ τῶν Κορυβάντων* ap. Tzetz. l. l. *ἀπὸ κύρβεως* ap. Asclepiad. in Etym. M. s. v. *κύρβ.*), quae a veteribus proponuntur. Verum haud dubie Benfeyus invenit [5], qui vocem *κύρβασις- ία* ejusdem stirpis esse contendit. Haec quoque perantiqua et a Graeca lingua videtur esse aliena. Utraque

---

1) cf. Plut. Sol. l. l. Cratinus l. l. Harpocration v. *ἄξονι*. Diogenian. V, 72. Gregor. Cypr. IV, 10. Apostol. X, 27 ed. Leutsch.

2) Pol. fragm. p. 89.

3) Etym. M. s. v. Suid. s. v.

4) ad Plut. Sol. 25.

5) Griech. Wurzellex. II p. 313.

autem significat corpus ad cylindri similitudinem constructum. Apollodorus quoque jam haec duo vocabula comparavit cf. Harpocr. s. v. *κύρβεις* ed. Dind. p. 187; de origine autem et significatione vocabulorum erravit.
